

AD
EXAMEN PUBLICUM,
CUM
DISCIPULIS OMNIUM ORDINUM
GYMNASII MAGDALENAEI

IN A. D. XXVIII. MARTII

INSTITUENDUM,

INVITAT

EA, QUA PAR EST, REVERENTIA,

DR. FRIDERICUS GUILIELMUS KLUGE,

RECTOR ET PROFESSOR.

PRAEMITTUNTUR

- I. PROLEGOMENA IN DIALOGUM DE ORATORIBUS.
- II. CONTINUANTUR ANNALES SCHOLASTICI.



VRATISLAVIAE,

TYPIS GRASSIO - BARTHIANIS.

MDCCCXXXIII.

Boes (1833)
1

F. A. M. A. P. B. L. C. M.

OF THE

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

PROLEGOMENA

IN

DIALOGUM DE ORATORIBUS

AUCTORE DR. J. F. KLOSSMANNO.

PROLOGUE

THE HISTORY OF THE

PROLOGUE

Cum in operum Taciti, sapientissimi rerum scriptoris, vi et dignitate existimanda per multa sint eaque difficillima ac gravissima, in quibus explicandis acerrimi doctorum hominum labores maxima compensari possint iucunditate et tractatae rei et auctae scientiae, tum nulla quaestio uberius mihi videtur ad ingenium et mores Taciti accuratissime explorandos et intelligendos, nulla fere illustrior ad declarandam iudicii et eruditionis vim atque subtilitatem, quam quae iam olim mota est de auctore libelli, qui inscribitur: Dialogus de Oratoribus. Quam quaestionem illustrare cum multi sint conati, inchoatam tamen rectius rem existimaveris quam perfectam esse atque absolutam. Atque cum varia placuerint viris doctissimis, plurimi fere, si quid video, in ingenio, iudicio et moribus auctoris laudandis consentiunt, qui vim et naturam temporum acutissime perscrutatus praeclaram nobis suae aetatis imaginem expresserit, qui firmis ac subtilibus sententias confirmaverit argumentis, qui denique acerrimum declaraverit studium veri atque honesti. De genere tantum dicendi quid statuendum sit dubitant; sunt enim qui copiam, varietatem et suavitatem orationis non solum a pressa illa et concisa forma sed omnino ab arte Taciti abhorrere existiment; sunt qui ingenii juvenilis fervori cuidam has virtutes dandas, sed Taciti ingenio atque arte haud indignas esse statuunt; congestam videmus vocabulorum et sententiarum multitudinem, quibus aut similitudo illa aut discrepantia demonstratur. Paucissimi tantum ex computatione temporis accuratius institutionem moverunt de Tacito auctore. Iam equidem in dissertatione quadam probare conatus sum, auctorem dialogi minime posse referri in numerum existimatorum subtilium, vim ac naturam temporum ingeniose et accurate perscrutantium atque illustrantium, sed antiquarium et rhetorem esse habendum, qui quae ab antiquis et a magistris excogitata et tradita accepisset, animo et memoria teneret. Cuius sententiae cum ne nunc quidem me poeniteat, retractandam eam mihi sumpsi, uberius expositurus quae olim attigi. Sed quoniam huic commentationi angusti circumscripti sunt fines, uberiusque omnino est materia, quam ut a me quidem omnibus numeris possit absolvi, partem explicandam mihi sumpsi, quae ut gravior mihi videtur, ita minus a viris doctissimis tractata est, de ratione ipsa libelli et natura studiisque disserentium. Qua parte accuratius indagata vias mihi persuadeo commonstratas esse et digito velut intendi ad fontes, ex quibus quid de Tacito auctore statui possit hauriamus.

Sed primum spectemus, unde dialogus ipse sit orsus. Curiatius Maternus, causis agendis magnam auctoritatem consecutus, aeribusque atque imaginibus ornatus*), postquam in foro satis sudasse sibi visus est, omne suum studium ad poesin colendam transferre in animum induxit. Cuius consilii rationem in acerrimo otii et tranquillitatis desiderio positam esse finxit, revera autem uberiorem potentissimos vexandi materiam componendis tragoediis sibi subiectam esse existimavit, quam causis privatis et sordidissimis apud Centumviros agendis. Atque contigit ei in Neroneis, ut improbam Vatiniū potentiam frangeret**); scripsit Medeam, Domitium***); recitavit Catonem†) magna cum offensione potentium, quasi in eo tragoediae argumento sui oblitus tantum Catonem cogitaverit. Qua de re cum per urbem frequens sermo haberetur, venerunt ad eum amici, M. Aper et Julius Secundus, hortatique sunt, ut securitati magis consulere. Verum Maternus, pro constantia sua et pertinacia, in edendo Catone profitetur ea emendatum iri, quae indigna se poeta videantur, sed dicturum sequenti recitatione Thyestem, si qua omiserit Cato. Et quoniam assidua cum Apro contentio prope in consuetudinem vertit, laetatur, arbitrum litis sibi datum esse Iulium Secundum, qui Maternum aut vetet versus facere, aut auctoritate compellat, ut poeseos studium praeferat. — Hinc orditur dialogus, cuius partes sunt tres. In prima parte quaeritur, Cap. V—XIII, num eloquentia praeferenda sit poesi. Aper defendit eloquentiam, id est, explicat quibus rebus ipse potissimum delectetur; Maternus defendit poesin, explicans quae sibi potissimum sint grata et iucunda. Intervenit Vipstanus Messala, laudat virorum studia et sermones, et quaerit, quae sint causae, cur recentiores ab eloquentia veterum recesserint. Aper defendit saeculum demonstrans, iudicio recessisse novos oratores, neque veterum eloquentiam temporibus esse accommodatam. Haec est secunda pars dialogi, Cap. XIV—XXIV. In tertia parte, Cap. XXV—XLI, causae fractae eloquentiae explicantur, quas Messala in prava educatione liberorum et in studio declamatorio positas esse putat, Maternus in amissa accusationibus vexandi libertate. — Quas partes si accuratius consideramus, fateamur sane, primam illam, in qua de dignitate eloquentiae et poeseos quaeritur, ad rem quae potissimum agatur non pertinere, neque aptam esse et connexam cum insequenti parte. Nam ad causas fractae eloquentiae exponendas quid quaeso opus est, ut demonstretur, poesin praefereendam esse eloquentiae? Neque aliam ob causam prooemium hoc videtur affixum esse, quam ut Messalae intervenienti occasio praerberetur quaerendi, quae essent causae fractae eloquentiae. Ubi enim audivit, de eloquentia sermonem fuisse inter viros doctos, comparatio subiit animum veteris et posterioris generis dicendi. Sic occasio quidem est data quaerendi, sed poeseos praestantia demonstrata vim non habet in novam quaestionem explicandam, miramurque etiam, cur

*) Cap. 11.

**) Cap. 11.

***) Cap. 8.

†) Cap. 2.

prooemium illud longius sit productum, praesertim cum rationes illae, quibus A per saeculum defendit, quae pars dialogi gravissima sane est habenda, brevissimis et paucissimis refellantur, quasi rem nihil attigerint et a sola contradicendi cupiditate profectae plane sint contemnendae. Ad quam rem cum nemo eorum qui de dialogo scripserunt, adtenderit, exponendum esse puto, quid ea voluerit auctor. Sed haec ratio quum melius perspicui possit gravissimis dialogi partibus expositis et perpensis, primum disputationem Messalae ac Materni consideremus.

De disputatione Messalae.

Messala causas imminutae eloquentiae in desidia et negligentia discentium positas existimans, optime explicare eas sibi videtur praeceptis de perfectissima eloquentia tradendis. Cuius quidem fontem habet institutionem oratoriam, ex qua summus fiat atque fingatur orator, si teneat, quid in eloquentia sit optimum, et si vias cognoverit quibus ea pareatur, et si industriam adferat atque diligentiam in usu forensi; quasi vis doctrinae sive idoneam complexa sit naturam sive tardam sola valeat et pari modo apud omnes, neque intersit, utrum temporum felicitas ingenia excitet et adiuvet an iniqua rerum condicio obtundat et opprimat. Atque vim propriam oratoris ita definit atque complectitur, ut is sit orator, qui de omnibus rebus quae in quaestionem disceptationemve veniant et de omni humanitate copiosissime possit atque ornatissime dicere cum quadam actionis dignitate. Quam ob rem tenendam esse existimat oratori vim antiquitatis et scientiam iuris civilis, pernoscendos locos philosophiae de bono et honesto, de vita et moribus hominum, instituendam et firmandam exercitationem in pulvere et sole fori non in umbra scholarum. Hac arte et varietate eruditionis ornatos, hac exercitatione firmatos veteres putat maxima laude oratoria cumulosos esse; recentiores vero, moris antiqui obliti et desidia diffluentes maxime vituperandi videntur, quod neglecto ornatu rerum inanem captent verborum sonitum actionemque adhibeant plane indecoram. — Totius igitur disputationis summa haec est: Recentiores oratores nolunt summa assequi; qui si desidia abiecta et declamatorio studio deposito praecepta veterum sequerentur et exercitationes, haud dubie gloriam eorum aequarent. Sed disputationem hanc per partes persequamur, quae sunt tres. Primum enim speciem perfectissimae eloquentiae expositam consideremus, deinde, quid de vi ac natura saeculi iudicaverit, postremo quid de causis ipsis eloquentiae imminutae statuerit.

I. Atque in nota et formula perfectissimi oratoris exprimenda cum duo spectanda sint, primum ipsa forma eloquentiae, qualem Messala omnino proposuerit, deinde rationes, quibus contra adversarios sententiam confirmaverit: in illa quidem exponenda optimis usus est praeceptis, in his minime docte et accurate videtur esse versatus. Nam illud quidem ad magnam laudem est insigne, quod talem nobis optimi oratoris ex-

pressit imaginem, qualem vix oculis videris, mente tantum et cogitatione comprehendas*). Nam si illa eloquentiae species, ad cuius similitudinem acerrima oratorum studia sunt dirigenda, non suscipitur a ratione neque cogitatur tam perfecta, ut nihil possit inveniri praestantius, tum et ipsius eloquentiae fines mutabili cuiusvis aetatis voluntate circumscribuntur, et anceps fit disputatio de temporum natura definienda, ut in utramque partem possis statuere de ratione studiorum, de dignitate oratorum et de causis sive adultae sive fractae eloquentiae. Verum quamquam praeclaram adtulit Messala rem, tamen optimam potius videtur sectatus esse disciplinam, quam excelluisse vi ingenii; nam perfectissimum illum oratorem iis informavit praeceptis, quae a Cicerone sunt tradita; cuius vestigia tam accurate persequitur, ut easdem sententias iisdem rationibus, iisdem fere verbis repetat**). Sed hanc speciem absolutae eloquentiae, quae ex ipsius Ci-

*) Cf. Cicero de Orat. I, 21. Cf. Orator Cap. 3, Cap. 5, Cap. 29.

***) Non solum praeceptorum, sed rerum etiam et hominum inveniuntur similitudines. — Edidit Cicero librum, qui inscribitur: Orator, statim Catone absoluto, „quem ipsum, inquit (Cap. X) non attingissem tempora timens inimica virtuti, nisi tibi (Bruto) hortanti et illius memoriam mihi coram excitanti, non parere nefas esse duxissem. Ac laudavit Cicero Brutum, quod omnino non intermitteret studia doctrinae. Deinde (Cap. XI) formam optimi oratoris expositurus, cum varia sint genera dicendi, nitidum illud a forensi certamine remotum non complecti vult illo libro, sed illud quod foro et pugnae aptum est. — Sic etiam in hoc dialogo Catone absoluto cuius virtus inimica temporibus erat, disputatio oritur, in qua cum causae fractae eloquentiae exponendae sint, nitidum illud atque laetum dicendi genus plane spernitur, et quid ad perfectissimam orationis formam aciei et foro aptam pertineat, uberius explicetur. Laudavit etiam Messala (Cap. 14) quod studia doctrinae ad liberam animi oblectationem comparata non intermitterentur. — In libris Ciceronis qui inscribuntur: de Oratore, Antonius disputat de arte oratoria, vir acutissimus et qui cum Crasso illustrissimus tum numerabatur orator. Is quidem (de Orat. II, 1) eruditione satis instructus ita egit, ut omnino non didicisse putaretur, quia probabiliorum populo orationem fore censebat suam. Sic in hoc dialogo Aper, celeberrimum tum ingenium fori, eruditione imbutus, contemnebat potius literas quam nesciebat, maiorem industriae gloriam habiturus (Dial. Cap. 2). — Ac (de Orat. I, 62) Crassus finita disputatione Antonii dixit: Operarium nobis quendam oratorem facis, atque haud scio an aliter sentias et utare tua illa mirifica ad refellendum consuetudine. Cuius facultatis exercitationem philosophorum propriam esse putat, qui in utramque partem dicere soleant. — Eodem modo in dialogo Aper in contrarium disputat et aliter sentit, ac more philosophorum sumpsit sibi contradicendi partes (cf. dial. Cap. 15 et 24). Et in exponenda dignitate eloquentiae (Cap. 5—8) etiam oratorem facit operarium, qui in foro et subselliis habitet. — Sicut de Orat. I, 1, Cicero dixit, Quintum fratrem eloquentiam posuisse in quodam ingenii et exercitationis genere, non in prudentissimorum hominum artibus, sic Maternus disputatione sua (cf. etiam Cap. 33) eloquentiae vim exercitatione non arte et scientia contineri putat. — Narrat Cicero de Orat. II, 33 Crasso certum fuisse a turba et subselliis discedere et in otium sese conferre, sed putasse Catulum, nec viros bonos auxilio nec civitatem ornamento quodam privandam esse. In dialogo legimus Maternum a causis et iudiciis decessisse in otium, sed ab Apro revocatum esse ad auxilium ferendum periclitantibus et ad forum ornandum. — Haec in universum

ceronis sententia mente tantum et cogitatione comprehensa auribus nunquam est audita, tamen ab antiquis oratoribus Messala, maxime a Cicerone et eius aequalibus expressam esse affirmat atque declaratam. Quamobrem suae aetatis eloquentiam cum in diversa videat versari ratione, plane fractam eam esse colligit et velut regno expulsam; quae ut in pristinam restituatur dignitatem, omnem studiorum rationem ad normam et similitudinem antiquitatis revocandam esse existimat atque dirigendam. Itaque disertos sui temporis, quos inopes doctrinae et eruditionis habet, summam docet artis ita, ut ordinem quendam praeceptorum ab incunabulis puerilis institutionis repetens explicet, quid pertineat ad perfectissimum oratorem, et qua via ac ratione veteres ad summam artem pervenerint. Verum in hac parte reprehendendus videtur. Nam ratio dialogi non id spectat, ut velut apud discipulos rudes et arte instruendos praecepta veterum recoquantur; sed, quoniam perfectissimam oratoris speciem eandem antiquorum propriam iudicavit, laus illa antiquitati tributa ita erat contra irrisores et obtrectatores vindicanda, ut probaretur, qui in dicendi ratione antiquorum non versarentur, eos deteriorem plane sequi, sive ab antiquis omnem viam ita esse praeclusam, ut alio genere optime dici non posset. Et pugna erat Messala cum doctis atque cum indoctis hominibus. Illorum partes tuetur Aper; qui eloquentiam existimat communi aetatis cuiusvis eruditione contineri, eaque de causa variam esse et mutabilem, neque apud ipsos antiquos in unam cecidisse formam. Quamobrem nulli aetati absolutae eloquentiae laudem tribuit, sed singulis temporibus singulas virtutes. Neque vero suae aetatis eloquentiam putat fractam esse, sed temporibus congruentem laetiora cepisse incrementa. Nam docet, sicut apud antiquos gradus fuerint eloquentiae ita ut posterior aetas priorem elatione et altitudine orationis superaret, sic nunc etiam immutata temporum condicione et aucta doctrina rudem anti-

de hominibus. — Quod ad disputationem Messalae adinet, omnino secutus videtur Cicero-
nem de Orat. I, 2—6. Ut enim Cicero explicat, paucos esse oratores perfectissimos, quia
in magna varietate artium sit elaborandum, sic Messala putat explicari posse causas fractae
eloquentiae, quia oratores in varietate illa artium et copia non elaborent. Quamobrem qui
praecepta Messalae legit de perfectissima eloquentia, is certe Ciceronis doctrinam agnos-
cat; cf. de Orat. I, 2—16. — Sunt etiam in singulis vocabulis et sententiis similitudines.
Cap. 30 dicit: ex rerum scientia exundat et exuberat eloquentia; cf. Cic. de Orat. I, 6: ex
rerum cognitione efflorescat et redundet oratio oportet. Et Cap. 31: tenebit venas animo-
rum. Cf. de Orat. I, 52: teneat oportet venas cuiusque aetatis. Cap. 32: eloquentiam
quaeritur expulsam esse regno suo; cf. de Or. III, 32. Dicit Messala, eloquentiam circum-
cisam et amputatam. Haec verba leguntur de Or. I, 15, 65. — Cap. 32 dicit Messala: mul-
tarum artium scientia etiam aliud agentes nos ornat; etc. Alludit ad sententiam Cicero-
nis, quam de Or. I, 16, 73 proposuit. — Cap. 25 iudicium de oratoribus antiquis et novis
ad similitudinem est compositum Cic. de Orat. II, Cap. 22, 92 seq. et Cap. 23, quibus in
locis nitidum illud ac laetum dicendi genus separatur a forensi oratione, et magnis illis
oratoribus Graecis similis in genere voluntas adtribuitur. — Praeterea probe tenendum est,
Messalam ea potissimum praecepta Ciceronis attigisse, quae a Quintiliano sunt repetita;
unde fit ut etiam ad huius similitudinem accedere videatur.

quorum formam et impolitam, his temporibus minus accommodatam abolitam esse et detersam. Hinc colligit, antiquos oratores laude quidem, ut illis temporibus, haud indignos nunc tamen lectioni eruditorum commendari non posse, propterea quod, quem cultum et nitorem orationis iudices et corona audientium desiderent, is in orationibus eorum non insit lentis, rem longius repetentibus et veterino inquinatis. Qua disputatione vult Aper efficere, studia recentioris temporis ad nutum et arbitrium antiquitatis, cuius ratio prorsus sit aliena, non esse fingenda atque accommodanda, sed peculiari omnem aetatem ornatam esse prudentia, moderatrice eloquentiae, sui tantum similem esse suisque sese tueri rationibus. Neque ea sententia utitur ad vim antiquitatis infringendam, sed ad antiquarios refellendos; quod erat genus hominum, qui, quodcumque antiquitatem non redoleret, plane aspernarentur, qui in antiquitate effingenda et exprimenda omnem vim ingenii ponerent, qui certis destinatisque sententiis addicti ad novas rationes expendendas per contentum et pertinaciam non descenderent. Et rationes ab Apro ad confirmandam sententiam adlatae eo graviore saepe videri poterant Messalae in libris Ciceronis optime versato, quia, ut verbis dialogi utar*), ab ipsis antiquis Aper mutuatus est artem et eruditionem, qua eos incesseret. — Nam ex ipsa Ciceronis sententia**) varia sunt genera dicendi, ut quot oratores, totidem saepe reperiantur genera dicendi, atque melius a deteriore facultate magis quam genere distinguatur. Et rem omnium existimat difficillimam, cum sensus et voluntates hominum in tanta versentur varietate et dissensione, statuere, quid sit optimum***). Quae cum ita sint, Apro facile concesseris, „non deterius statim esse quod diversum sit“ †), neque temporis recentioris genus dicendi, propterea quod ab antiquitate distet, damnandum esse et eiiciendum. Nam si omnino sunt innumerabiles quasi formae figuraeque dicendi ††) dispaes specie, genere laudabiles, si oratores antiqui alii in aliis formis elaborantes, ingenii et artis laudem sibi compararunt: cur alia aetate qui ingenio ad dicendum accedentes sequantur formam quandam diversam, auditoribus probatam, reprehendendi esse videantur in sola varietate et differentia? Cui quidem sententiae eo maior accedit vis, si reputamus, neminem summum illud et excellens genus, quod in mente insidet, assequi posse ab omni parte †††), sed optimum quemque aut partes quasdam excolendas sibi sumpsisse aut in partibus excelluisse. Hinc fieri potest,

*) Cap. 24.

**) De Or. III, 9, §4.

***) Orat. Cap. 11, Cap. 16.

†) Sunt verba Apri, Cap. 18.

††) De Or. III, 9.

†††) Orator Cap. 2, 7: quod in perpetuitate dicendi non saepe, atque haud scio an unquam, in aliqua autem parte elucet aliquando etc.

ut vi ingeniorum excolantur, quae nondum sunt excolta, propriasque habeat quaevis aetas virtutes, quia, ut Quintiliani verbis utar^{*)}, nos tarditatis non damnavit natura. — Sed sicut Aper demonstravit variam esse eloquentiam, ita etiam auctoritate veterum sententiam suam commendare potest, quam de mutabili forma eloquentiae proposuit. Omnes enim^{**}), dixit Cicero, qui probari volunt, voluntatem eorum, qui audiunt, intuentur, ad eamque et ad eorum arbitrium et nutum totos se fingunt et accommodant. — Mutata igitur voluntate auditorum, mutatur forma dicendi. — Quamobrem colligit Aper, quoniam recentior aetas ampliore instructa sit doctrina, in forma veterum inculta et horrida^{***}) non esse insistendum, sed ulterius progrediendum, eamque ob causam fieri, ut multitudo eorum qui audiunt, maiorem requirat laetitiam et nitorem orationis, cursum argumentorum, sententiarumque colorem (Cap. 19). Deinde ipsi iudiciorum formae accommodatam esse illam eloquentiam putat, quia iudices in infinita causarum varietate oratoribus temporis modum definiant, eosque immixtis ambagibus alio transgredientes, ne tempus teratur ad id revocent, quod est causae caput. Quamobrem opus esse colligit, ut arguta oratores brevitate rem celeriter conficiant, nitidoque et laeto genere dicendi et iudicum fastidium avertant, et audientium sensus mentesque alliciant. — Qua quidem disputatione Aper efficere studuit, recentiores ab eloquentia veterum iudicio et intelligentia recessisse, neque genera, quae inter se discrepent, iisdem praeceptis et in una institutione posse formari. — Sed haec argumenta quae satis antiquitatis auctoritate commendata minime, si per se spectas, possunt commoveri, tamen, si iis Aper ad laudes posterioris aetatis efficiendas uti voluerit, infirma sunt habenda. Nam etsi concedi potest non deterius statim esse quod diversum sit, tamen id non probaveris, esse optimum, quia quod diversum est a certa quadam forma, et melius esse potest et deterius. Deinde, quanquam nemo negaverit, orationem volun-

*) Inst. II, 5, 24. Quod Aper adtulit, id omnino etiam Quintiliani auctoritate confirmatur. Dicit enim Inst. orat. Lib. X, 5, 5: neque adeo ieiunam ac pauperem naturam eloquentiam fecit, ut una de re bene dici nisi semel non possit. Et eod. libro, Cap. 5, 7: Si uno genere bene diceretur, fas erat existimari praeclusam nobis a prioribus viam. Nunc vero innumera-biles sunt modi plurimaeque eodem viae ducunt.

***) Ciceronis Orat. Cap. 8, Cap. 11, Cap. 16. Cf. Brut. Cap. 49 et 50; de Orat. I, 12, 54. II, 38, 159. Tuscul. II, 1, 3: popularis est enim illa facultas, et effectus eloquentiae est audientium approbatio.

****) Eodem modo loquitur Aper de aetate Ciceronis, quo Cicero de aetate Catonis. Cf. Brut. 17. Cf. Brut. 85, 293 et 294; ubi verba fere eadem leguntur: Equidem in quibusdam risum vix tenebam, cum Attico Lysiae Catonem nostrum comparabas. Cf. dial. C. 21. Eodem capite Aper eloquentiam eam pulchram existimat, in qua non ossa numerantur sed temperatus ac bonus sanguis implet membra. Alludit his verbis ad locum Ciceronis Brut. 17, 68. — In dialog. Cap. 19, ex philosophiae studio nitor ille orationis proficisci videtur. Cf. Orat. 27, 95 et 96.

tatibus eorum, qui audiant, accommodandam esse, tamen hoc praecepto excusantur potius propriae quaedam oratorum dicendi rationes quam laudantur, quia si iudicium audientium corruptum est, fieri non potest quin etiam oratio corrumpatur. Verum contra antiquarios, qui perfectam eloquentiam in unam volunt formulam cadere, causam egit Aper suam aptissime ad id quod voluit, docendo, eloquentiam variam esse et mutabilem et temporibus ac multitudinis auribus accommodandam, neque antiquos ipsos perfectionem oratoris in unam voluisse includere figuram. Praeterea si verum est, quod de eloquentia Materni, Secundi et Messalae dicit*), quos principes huius aetatis videtur existimasse, quis est, quin fateatur, talem eloquentiae speciem in laudabili versari genere. Iam vero de vitiis veterum oratorum quae adtulit Aper**) iudicavit F. A. Wolfius, multa esse expendenda***). — Sed haec est controversia Messalae cum doctis hominibus. Praeterea cum imperita turba advocatorum et causidicorum certamina invisisse videtur. Nam ex verbis eius, quae Cap. XXXII leguntur, collegeris, offendisse cum novis et inusitatis praeceptis, in quibus sibi ipsi mirifice placuerit. Quod quidem in Aprum cadere non potest, doctum hominem, qui disputatione sua cum satis se in scriptis veterum versatum esse ostenderit, fontis certe, ex quo Messala hausit, notitiam habebat, neque praecepta illa de perfectissima eloquentia tradita ineptiis Messalae dare poterat. Neque vero in ceteros doctos homines cadere videtur. Quae cum ita sint, colligo Messalae cum turba imperitorum pugnam fuisse; putavit fortasse in hac quoque re similem se esse Ciceronis, qui eodem modo quo Messala, rhetorum inscientia exagitata, dixit †): „Reprehendunt, quod inusitatas vias indagemus, tritas relinquamus. Ego autem et me saepe nova videri dicere intelligo, cum pervetera dicam, sed inaudita, plerisque; et fateor, me oratorem, si modo sim aut quicumque sim, non ex rhetorum officinis sed ex Academiae spatiis exstitisse.“

Sed hisce expositis restat, ut consideremus, quid Messala ad argumenta illa, quae ab Apro contra antiquariorum pertinaciam adlata sunt, responderit. Atque omnes facile concedant, disputatione Apri controversiam esse motam de ratione vim et virtutes temporum diiudicandi, atque id potissimum quaeri, utrum aetatis posterioris dignitas ex auctoritate et similitudine antiquitatis sit ponderanda, an aetas sui similis suis etiam sese tueatur rationibus. — Verum adversarii ad argumenta illa, quae ab Apro sunt adlata, nihil respondent; arte quadam totius quaestionis rationem torquent. Nam Maternus, qui ad Apri orationem primus respondet, fingit hunc antiquos voluisse vexare, sed

*) Cap. 23.

**) Cap. 22.

***) Cf. praefat. ad Cic. orat. de Marcello pag. 24.

†) Orat. 8, 11 et 12. — Et in dialogo Cap. 32 hunc ipsum locum etiam adfert.

per speciem tantum et more philosophorum proprio.*). Haec sententia Materni falsa est. Nam si Aper praecepta illa de perfectissima eloquentiae specie tradita refellere studisset, moverer ut existimarem, virum literis imbutum doctrinae usum in eloquentia per speciem voluisse imminuere. Verum quoniam antiquarios, ne aetatis posterioris honos caderet, vexavit et refutavit, non puto virum, qui vehementissime atque acerrime Maternum ad studium eloquentiae revocavit, qui temporibus inserviando auctoritatem adeptus est et honores, simulatione usum esse in defendenda aetatis propria vi atque virtute. Sed antiquarii fingunt ac torquent, quia argumenta Apri tam molesta sunt, ut si aliquid concedant, de laude eloquentiae veterum tanquam perfectissimae detrahatur. Ita Aper refellendi consuetudine utens, cum eam sententiam, quam ipse amplecteretur, per speciem tantum novis oratoribus laudandis studeret infirmare, ipsis cum antiquariis facere visus est non solum simulata vexatione antiquorum, sed etiam arte illa, qua, quos contemnere voluit antiquos, eos imitando effinxit et expressit. Hac cupiditate contradicendi, quam in Apro inesse fingunt, callide sane ita utuntur, ut defensionem antiquitatis non exigant, sed statim quaestionem moveant de causis fractae eloquentiae. Sic in possessione consistentibus, cum de gloria antiquitatis constet et de fracta eloquentia recentiorum, argumenta etiam illa non considerata videntur, quibus Aper demonstravit, eloquentiam, nullo tempore absolutam, trahere colores ex universa aetatis eruditione, iudicioque oratores novos formam elegisse novam. Sic callide etiam Messala, cui partes sunt adsignatae Aprum refellendi, quanquam ordinem videtur argumentorum sequi, tamen ea potissimum efficere studet, quae antiquariorum sententiam de perfectissima veterum oratorum eloquentia tueantur. Nam initio disputationis**) Aper, controversia nominis mota, terminos antiquitatis ex computatione vel anni magni vel spatii vitae humanae usque ad sua tempora studuit protrahere, quasi mutato nomine propriae antiquorum virtutes in nova quoque tempora possent transferri. Quae quidem sententia tam inepta est, ut statim colligas, Aprum firmis argumentis destitutum ad argutias confugisse, quibus laudes antiquitatis suo etiam tempori vindicaret. Quas ineptias in suam rem Messala ita convertit***), ut de nomine non sollicitus videretur, sive antiquos nominaret Aper, sive alio mallet nomine, dummodo in confesso esset, eloquentiam illorum temporum eminentiorem fuisse. Sic Messala levi argumentatione Apri callide utens rem fingit esse absolutam, quae potissimum agatur. — In ceteris etiam argumentis refellendis ita agit Messala, quasi antiqui omnino sint vexati, ne verbo quidem attingens, quod Aper de temporum ratione recte existimanda proposuit. Nam concedit Apro, plures formas dicendi iisdem saeculis nedum diversis exstiasse, sed Ciceronis aetatem omnium consensu maxime probari putat. Qua quidem sententia Aper non refellitur. Is enim Cice-

*) Cap. 24.

**) Cap. 16.

***) Cap. 25.

ronis aetatem, si cum prioribus compares, laude dignam fuisse, sed minime sequenti aetati anteponendam esse existimat, quae apto orationis nitore proximos eodem modo superet, ut hi priora superarint tempora. — Cui sententiae Messala simpliciter antiquariorum opponit sententiam, quippe qui colligat, quoniam eminentior antiquorum eloquentia sit demonstrata, eloquentiam recentiorum damnandam, nec rationes eorum audiendas esse. — Deinde concedit Messala diversas fuisse singulorum oratorum formas, omnes tamen statuit iudicii habuisse et voluntatis similitudinem, ut in genere consentirent. Verum haec sententia argumenta Apri non infirmantur; qui cum novis oratoribus communem quandam rationem adscribat singularem et ab antiquitate abhorrentem, huic certe generis similitudinem quandam detrudere noluit, neque detraxit communibus antiquorum vitiis recensendis. Id modo statuit, genus eorum accommodatum illis temporibus, novis temporibus non convenire; ad quam sententiam Messala nihil respondet. Postremo quod Messala de invidia veterum dicit, hominibus eam dandam esse non oratoribus, verba Apri torquere mihi videtur. Hic enim ad antiquarios, et maxime ad Messalam alludens comparatione quadam voluit de subtilitate existimatorum dubitationem movere. Nam sicut Ciceronis aetate erant, qui antiquitatis amore obcaecati novum dicendi genus fastidirent tanquam inflatum et tumidum, sic nunc etiam Aper putat fieri, ut multi nimio antiquitatis amore ducti novam rationem dicendi tanquam inflatam fastidiant et extenuent. Sic mea quidem sententia Aper hominibus non adscribit invidiam, qua contra animi iudicium et solo obtrectandi studio ducti iniquius iudicaverint, sed vitio quodam naturae humanae in errore fuisse putat existimatores, ut meliora, quoniam nova essent, non intelligerent, non probarent. Verum Messala dissensione illa ad invidiam hominum traducta fingit, iudicii similitudinem quandam oratorum obtinuisse, satisque etiam demonstrasse sibi videtur, nunc quidem novorum oratorum virtutes accuratissime existimari, neque vitio quodam naturae humanae vetera in honore, nova in fastidio esse. — Ergo omnino concludendum videtur, Messalam non demonstrasse, quod erat demonstrandum. Nam ut brevi complectar, Messala exponere debebat rationes, cur ab antiquis omnis via ita esset praecclusa, ut, qui in alio genere dicendi versarentur, a perfectione omnino abessent, deinde, cur non audiendi essent, qui docerent, eloquentiam popularem esse atque ad arbitrium audientium fingendam, cur, quae Aper adtulit de singulis veterum oratorum vitiis falsa essent, denique cur nitore orationis omnino locus non posset dari, nec temporibus ea forma apta haberi. — Haec silentio plane praetermisit Messala, neque aliud adiecit*), nisi sententiam, si omisso optimo illo et perfectissimo genere eloquentiae, eligenda esset forma

*) Cap. 26. Eadem fere dicit Cicero de Orat. III, 35, 142: quorum si alterum sit optandum, malim equidem indisertam prudentiam, quam stultitiam loquacem. Et Quintilianus Inst. VIII, 5, 34: Et si necesse sit, veterem illum horrorem dicendi malim, quam istam novam licentiam. Cf. XII, 10, 47.

dicendi, se malle hirtam togam, quam fucatas et meretricias vestes; quasi quod antiquario placuerit, id ea de causa eligendum erat. Quibus consideratis colligo, Messalam minime voluisse quaestionem docte et accurate perpendere et explicare, sed velut in contentione forensi ea tantum spectasse, quibus causam obtineret. Itaque videtur exemplum callidorum patronorum secutus esse, qui, si molestio argumento respondere non possunt, ibi haerent et commorantur, unde ad refellendum adversarium firmiores occurrant rationes. Sic spreis doctis argumentis turbam imperitorum eorumque vitia spectasse mihi videtur, quae, cum sub aspectum fere oculorum caderent, facilius poterant observari ac notari, quam recondita eruditorum studia, quae perspicienda erant acie ingenii. Quae quidem vitia, cum omnino defendi non possent, antiquariorum sententiae de gloria antiquitatis firmae videbantur, neque nisi per speciem et simulationem commovendae. Quamobrem satius etiam habuit Messala imperitos docere, et veterum praeceptis recoquendis doctrinae copiam effundere, quam novas rationes eloquentiae subtiliter expendere. Denique si Messalam reputamus, iratum et consuetudine offendendi usum esse*), satis puto declaratam esse causam, cur orationem suam, castigandi cuidam desiderio obsequens ad exagitandos vitiosissimos potissimum converteret.

II. Nunc ad alteram partem disputationis progrediamur, in qua Messala sententiam suam de vi atque natura saeculi exposuit. Sed in hac parte etiam reprehendus est, minimeque videtur mihi prudens et aequus temporum existimator esse habendus. Quam sententiam his puto posse confirmari:

1. Arte et subtilitate est destitutus, varia ac dissipata ad universam vim generis referendi. Nam cum omnino antiquitatis voluntatem ac studia opponat novae orationis formae, opus sane est, ut totius saeculi naturam et studia communia nobis declaret, et fusa atque dispersa ad universam vim generis ratione concludat et arte. Ac duo sunt loci, quibus brevi universam vim ac naturam complecti videtur. Nam Cap. XXVI, postquam veteres a sano et incorrupto dicendi genere laudavit, vituperat calamistros Maecenatis, tinnitus Gallionis, lasciviam verborum, levitatem sententiarum, histrionalesque modos, quibus saltare potius videantur actores, quam dicere. — Quibus vitiis inquinati, tumidi sunt habendi et inflati. — Et Cap. XXXII, postquam lautissimam per-

*) Cap. 27 et Cap. 32.

**) Quod Aper in hac parte disputationis contra antiquarios adtulit, qui solam antiquitatem mirantes nova despiciere solebant, id etiam apud Tacitum legitur. Quamobrem mirum haberi possit, virum sapientissimum, si dialogum scripsit, ita sibi repugnare, ut, quod in dialogo per speciem dictum videatur et contemnendum sit, in aliis libris ex vera animi sententia graviter probetur. Ut Aper Cap. 18 dixit, vitio malignitatis humanae vetera semper in laude, praesentia in fastidio esse, sic Tacit. Agricol. I, aetatem suorum incuriosam habet. Cf. Annal. II, 88, ubi de Arminio dicit: Romanis haud perinde celebris, dum vetera extolimus, recentium incuriosi.

fecti oratoris suppellectilem exposuit, sui temporis disertos reprehendit, quod sermone utantur quotidiano, eloquentiam in paucos sensus et angustissimas detrudant sententias, ut circumcisa et amputata et velut regno expulsa, quasi una ex sordidissimis artificiis, discatur. — Quibus verbis proprie significantur, qui ieiunitatem adferunt atque inopiam. Sed sententias illas accurate considerantes fateamur necesse est, eas inter se admodum pugnare. Nam si disertus huius aetatis quotidiano utitur sermone, aut neglecto ornatu anguste dicunt et ieiune, quomodo quaeso fieri potest, ut iidem corrupto lasciviant et fucato genere dicendi? Illi enim, nudi et inopes ad ornandum, sive natura, sive voluntate in imis subsistunt, offenduntque quod parum habent; hi, vim ingenii ambitiose iactantes, audacia exsultant et offendunt, quod nimium habent. Illi succo et colore carent, fortasse tamen non inepte dicunt, sed adferunt, quod ad utilitatem causae et ad propriam rem pertinet; hi colorem fucos simulantes solam dulcedinem aucupantur, ad utilitatem causae et ad persuadendum nihil adferentes; illi non movent, non delectant; hi condita suavitate satiant. Sic et in re ipsa differunt et in rationibus, quibus permoti ad dicendum accedunt. Et quanquam negari non potest, posse inveniri communia quaedam vitia, velut contemptum philosophiae et iuris civilis, tamen quotidianus sermo et pauci sensus longissime abhorrent ab iis, qui in exquisito quodam genere et in copia sensuum et sententiarum omnem ponunt laudem. Vitia igitur contraria cum in eosdem oratores cadere non possint, dubitamus sane, quomodo statuamus; nam aut inflati erant aut exiles, vel erant qui inflati essent, et qui ieiune dicerent. Hoc verisimilius sane videtur, et Quintiliani *) auctoritate confirmatur. Quod si est, levius sane Messala rem considerasse videtur et tractasse, ut, ubi verbis communem quandam omnium rationem significavit, singulos cogitaret et dispares species, quasi quod singulorum articulorum est, id in toto spectetur corpore. In qua quidem re historici muneri et officio defuit, qui et singulis partibus et universo generi iusta tribuat, remque tam accurate expendat, et singula animo complectatur atque cogitatione tam subtiliter, ut nusquam sibi ipsi contradicat. Sed videtur mihi Messala antiquitatis patrocinio contra irrisores et obtretractores suscepto, odio aequalium ductus accuratum historicum agere noluisse, sed oratorem, qui adversarios acriter insequens, in augenda et exaggeranda re gloriam eloquentiae poneret, et spem victoriae. Hinc in locorum communium usu satis exercitatus **) rem certam ad vim generis traduxit, ut, ubi singulis erat oratio hominibus definienda, ibi latius vagans universam complecteretur aetatem. Atque collocandi arte ita utebatur, ut ii, qui audirent,

*) Inst. Lib. XII, 10, 47 et 78.

**) Cf. Cicero de Orat. III, 27, 106. De locis communibus loquitur Cicero; quorum, inquit, partim habent vitiorum et peccatorum acrem quandam cum amplificatione incusationem, aut querelam, contra quam dici nihil solet, nihil potest. — Sic Messala singulorum hominum vitia, quae aperta erant et manifesta, ita exagitat, ut vitia omnino spectasse eum existimes. Quam rationem vituperandi cum instituerit, efficit, ut qui audiant vel legant, aetatem omnino vitiosam esse putent. Ita etiam Apri orationem, qui saeculo suo virtutes adtribuit, putat satis refutatam esse.

gravitate rei, quam modo adtulit, permoti et occupati discrepantiam sententiarum primo aut non exspectarent, aut deinde ad eam non adtenderent. Nam ubi Aper suo saeculo gloriam vindicaturus oratori cultum et nitorem orationis, ut auditoribus satisfaceret, necessarium esse adfirmavit, Messala, occasionem datam esse existimans laudandi et vituperandi, sanam veterum eloquentiam laudat, inflatam recentiorum rationem dicendi vituperat. Deinde postquam vim ornatus exposuit, sui temporis disertos, quoniam de fracta eloquentia eorum constat, exiles esse iudicat et aridos. — Sed his expositis, ut brevi sententiam complectamur, Messala videtur reprehendendus, quod, cum singuli essent inflati, aetatem inflatam et tumidam appellavit, et, cum singuli essent exiles, omnes fuisse exiles iudicavit, neque ad hanc discrepantiam sententiarum adtendit explicandam. — Sed ratio quaedam possit inveniri, qua Messala sibi constare videatur. Dixit enim Cap. XXVI, plerosque infucata adtulisse vitia. Quaerimus igitur, num pauci illi, qui relictis sunt, iidem sint, quos quotidiano sermone usos esse dixit. Id quominus colligamus, obstant verba Capitis XXXII, quibus horum temporum disertos in universum significavit. Neque vero omnino puto Messalam in paucis tantum ornatum illum, in quo oratoris vis proprie cernitur, desiderasse, sed in omnibus; unde etiam factum est, ut tantam effunderet copiam doctrinae ab antiquis acceptae, et tanto impetu in suam aetatem inveheretur. Quod quidem si locum habet, tum colligendum est, tria genera dicendi obtinuisse, unum inflatum et tumidum; alterum aridum et exile; tertium eorum, qui aut aliis inquinati erant vitiis, aut mediocritatem adferebant, aut boni iudicandi erant; quibus coniecturis locus dandus est, quia auctor ipse rem non accuratius explicavit. Ita singulis locis comparandis est nobis, quid Messala senserit colligendum, quoniam ipse fusa atque dispersa arte et ratione concludere noluit.

2. Sed etiam in iis, quae de natura et vi saeculi adtulit, tam leviter est versatus, ut non explicaret universam rem, sed partes quasdam, easque vitiosissimas. Nam cur oratorum mentionem non fecit, qui illustrem tenebant locum, aut in aliquem certe veniebant numerum? Quis enim quaeso ingenia et studia aetatis cuiusdam ex iis ponderanda esse existimaverit, qui ingenio sunt destituti, qui nunquam studuerunt? Atque sic equidem statuo, ubi vis et natura aetatis cuiusdam explicanda sit, et in existimantium venerit arbitrium, omnino quaerendum esse, qualis sit forma illa, quam optimam cogitatione sibi finxerint homines ingeniosi et intelligentes, deinde quibus studiis, qua via et ratione sint usi, ut illam formam exprimerent, tum quantus fuerit numerus eorum, qui in eam formam effingendam incubuerint. Quo modo si existimatio instituitur, accuratissime potest universa vis et ratio cognosci, propriusque etiam tribuitur et rei ipsi et oratoribus honos, neque ubi voluntates fortasse sint improbandae, laus infringitur ingenii vel diligentiae hominum. Sed dixerit fortasse aliquis, non fuisse homines ingeniosos et bonos oratores. Verum optimos fuisse, qui antiquis pares haberi possent, testatur Quintilianus*), gra-

*) Lib. X, 1, 118 sqq. Addit Quintil. § 122: Habebunt qui post nos de oratoribus scribent, magnam eos, qui nunc vigent, materiam vere laudandi. Sunt enim summa hodie, quibus illustratur forum, ingenia.

vissimus auctor. Hic enim memorat eorum, quos ipse viderit, Domitium Afrum et Iulium Africanum, Trachallum, Vibium Crispum, Iulium Secundum, quibus si additur Cassius Severus, aetas posterior pari numero oratorum bonorum illustratur, atque antiquitas Cicerone, Asinio, Calvo, Caesare, Coelio et Bruto, quos principes habuit Messala*). — Verum si fingamus elaborasse oratores, qui nitidum genus sequerentur, in vitioso genere, singulos tamen ingenio et arte multum inter se differre negari non potest. Sunt enim, qui rerum copia et varietate eruditionis, vi excogitandi et acumine ingenii excellentes reprehensione eam ob rem digni videri possint, quod aut verborum et sententiarum lumina nimia arte longiusque arcessant et elaborata concinnitate gaudeant, denique non ad iudiciorum ceramen, sed ad voluptatem aurium omnem artem suam transferunt. Sunt vero etiam, qui inopes rerum et humanitatis et tardi in cogitando nimia quadam sui fiducia abrepti amplum et grande dicendi genus affectent et colores orationis, atque, ubi copia rerum et elegans iudicium non suppetant, verborum captent inanem sonitum et decoctam dulcedinem. Illos aestus quidam absorbet, ut novam et inusitam ingredi audeant viam, quae, etsi non probabilis sit, admirabilis haberi possit; hos impudentia impellit et lascivia, ut furant, ut bacchentur, ut imperitam multitudinem in stupo em abiciant. — Atque Aper cum saeculum defendat, videtur spectasse homines ingeniosos; Messala, cum vituperandi consilium ceperit, vitiosissimos. An vero existimaveris, in oratores illos, quos laudavit Quintilianus, Domitium Afrum, Iulium Africanum, Trachallum, Vibium Crispum, Iulium Secundum, in cetera ingenia, quibus forum illustratum iri sperat, in Aprum denique ipsum et Maternum vitia illa cadere, quae a Messala acerbissime sunt vituperata? Scilicet qui irato animo indulgens vituperandos sibi oratores proposuit, aptissime sane egit ad id quod voluit, bonorum oratorum cognitionem dissimulando. Quae quidem sententia de voluntate Messalae confirmatur, si illud etiam consideramus, quod de ieiuno dicendi genere oratorum adtulit. Dixit enim**), quotidianum sermonem inveniri, foeda ac pudenda vitia, paucos sensus et angustissimas sententias. Atque quaerimus, utrum foeda illa atque pudenda vitia eorum fuerint, qui ne consuetudinem, quidem linguae latinae cogitam habent, an eorum, qui vim oratoriam in sermonem familiarem converterint. Illa vitia qui admiserunt, ne latine quidem locuti videntur esse; quo vitio cum nihil turpius esset Romano, non puto a iudicibus et a multitudine toleratum fuisse, si quis voluisset impudentia solum uti pro concione, praesertim cum attenti essent et diligentes auditores, ut in colonias scriberent***), sive sensus aliquis arguta et brevi sententia effulsit, sive locus exquisito et poetico cultu enituit. — Itaque quanquam negari non potest, vitiosissimis oratoribus locum datum esse in turba forensi, tamen concedi non potest, eam fuisse saeculi naturam; quasi nemo meliora

*) Cap. 25.

**) Cap. 32.

***) Cap. 20.

praestare voluerit, nemo potuerit, quasi ex iis, qui omnis eruditionis sunt expertes, iudicandi sint ii, qui ingenio et industria ad dicendum sese conferant. — Sin vero petat eos, qui de ornatu oratorio non solliciti domesticum cum amicis, coniugibus et liberis loquendi usum in forum transtulerint, concedo equidem, multis aut naturam aut voluntatem defuisse ad excolendum amplum et grande dicendi genus. Verum qui in summo genere non versabantur; neque apparatus habebant oratorium ad flectendum et permovendum, instrumentum tamen forense in promptu habere poterant; si eloquentes non erant, at disertis esse poterant, et ex sententia auctoris dialogi et ipsius Messalae etiam erant *). Itaque si in summa laude oratoris non sunt, tamen in aliquem numerum veniunt, neque eorum eloquentia fracta potest haberi. — Praeterea fingamus, nitidum atque laetum dicendi genus, quod illis temporibus viguit, et aridum, quod Messala aetati adsignavit, minus posse probari, tamen causae erant, cur excusari possent oratores. Iam Aper eas attigit, consentitque fere Maternus. Nam si iudices cogebant oratorem, ut celeriter rem conficeret, si interrogationibus cursum orationis interpellabant, et temporis spatium atque momentum ipsi definiebant: facile colligi potest, illis temporibus oratoriae eloquentiae in foro minorem honorem esse tributum, quam formulis et probationibus iuris peritorum. Itaque eloquentiae, cuius usus ad docendum et permovendum exiguus admodum erat, nihil fere relictum erat, nisi speciosa quaedam artificii ostentatio, quae sola delectatione contineretur. Hanc ob causam nitidum et laetum dicendi genus, foro olim pulsum atque spretum, aptissimum certe erat pompae, qua omnes tum delectabantur, minime vero aciei, qua non erat dimicandum **). Rursus aridum illud atque exile dicendi genus habebat, quo sese defenderet. Nam antiquis temporibus, quibus concio populi oratoribus maxima erat scena, natura ad ornatissimum excitabantur genus, cum de gravissimis causis reipublicae dicerent, et maximis motibus multitudinis amplissimisque praemiis incenderentur. Quod grande dicendi genus si patroni recentiores non sunt secuti, iudicio excelluisse videntur, laudandique sunt, quod, quoniam eloquentia ex immenso rerum publicarum campo in angustias privatarum causarum detrusa erat, moderationem adhibebant ad rem, quam agebant, plane accommodatam. — Sed his expositis satis declaratam esse puto causam, cur existimemus,

*) Dicit Messala Cap. 32 de horum temporum disertis. Et Cap. 1 auctor dialogi dicit: horum autem temporum disertis. Quatenam sit differentia inter eloquentem et disertum, explicat Cicero de Orat. I, 21, 94.

*) Neque Cicero hoc dicendi genus omnino vituperat, sed eloquentiam ipsam hoc nutrimento educatam esse existimat. Cf. Orat. Cap. XI. — Multi certe etiam erant, qui falsa opinione ducti, cum in ornatu propriam oratoris vim ponerent, in ceteris partibus minus elaborandum esse putarent. Ac videntur exemplum Curionis ante oculos habuisse, qui (cf. Cic. Brut. 59, 214) in omni genere honestarum artium indoctus et rudis, tamen in aliquo numero erat. Itaque Cicero, in Curione, inquit (§ 216), hoc verissime iudicari potest, nulla re una magis oratorem commendari, quam verborum splendore et copia; nam cum tardus in cogitando, tum in instruendo dissipatus fuit.

Messalam lacessitum et iratum vim saeculi non accurate perspexisse, neque voluisse perspicere, sed vituperandi tantum cupiditate ductum, virtutibus saeculi silentio praetermissis vitiosissima tantum spectasse.

3. Ac in ipsis vitiis aetatis explicandis accurate versatus esse non videtur. Nam non omnia vitia puto Messalam enarrasse. Iudicavit enim eloquentiam sui temporis exornatu; in quo quidem maxima vis est oratoris posita, tamen non omnis. Nam ea est propria oratoris virtus, ut ornatum habeat et copiam, ut rem certam ad universi generis quaestionem traducat silvamque sibi comparet sententiarum, qua omnem humanitatem complectatur omnesque res, sive in republica versentur, sive in rebus privatis, sive in natura et moribus hominum. Hic est ornatus rerum. Verborum ornatus continetur luminibus verborum et sententiarum. Ad hanc differentiam attendisse Messala videtur, cum in disertis sui temporis aut ornatum desideraret, aut in verbis sententiisque illuminandis modum transgressos eos esse diceret. Sed quanquam vis oratoris praecipue in ornatu cernitur, multae tamen relinquuntur virtutes, quibus instructi etsi non summam, tamen magnam laudem habent. Nam est aliquid, acutum et diligentem esse patronum in causis cognoscendis et componendis, res involutas definiendo explicare, ambiguas distinguere, omnesque argumentorum et rationum locos sive ad confirmandum sive ad refellendum promptos habere atque paratos. Atque nemo sane nobis persuaserit, oratores posterioris aetatis in elocutione solum turpiter lapsos, in rebus excogitandis et disponendis tam acutos fuisse et ingeniosos, ut ab omni laude felices existimandi essent. Nam Messala ipse iis, quae de vitiis aetatis adtulit, illam sententiam confirmare videtur. Si pueri enim prava educatione pessum dati erant, si omnino literis non vacabant aut in scholis rhetorum tractatione causarum, quae a veritate plane abhorrebant, veram vim docendi et permovendi non perspiciebant, quomodo quaeso fieri poterat, ut acuti essent in excogitando et explicando, atque callide versarentur in tractandis argumentis et rationibus. Itaque si erant, qui arte disserendi excellenter, non accurate versatus est Messala in describenda natura atque vi aetatis, cum eloquentiam omnem fractam haberet; si erant, qui foeda ac pudenda vitia committerent in disserendo, non accurate Messala versatus est in describendis vitiis, omisitque, quae gravissima sunt habenda.

4. In comparandis aetatibus iniquum sese gessit existimatorem sui temporis. Nam, ut supra vidimus, Messalam singulorum vitia communi aetatis voluntati tribuisse, sic antiquitatis statuit virtutes omnino proprias fuisse, quibus singuli oratores ornati erant, Cicero, Asinius Calvus, Coelius, Caesar et Brutus. Quis vero nobis persuaserit, vitiosissimis oratoribus apud antiquos locum non esse datum*); ex quibus, si vellemus an-

*) Cic. de Orat. I, 26, 118: Neque enim, si multitudo litium, si varietas causarum, si haec turba ac barbaries forensis dat locum vel vitiosissimis oratoribus, iccirco nos hoc, quod quaerimus, omitemus.

tiquitatem iudicare, uberrimam sane haberemus subiectam materiam vituperandi. Nam si dignitatem oratoris ex iis praeceptis metimur, quae de perfectissima arte tradita sunt, fateamur necesse est, plerosque frustra laborasse, paucissimos summa esse assecutos. Nam exiguus omnino est numerus eorum, qui ingenio et doctrina ornati optimis rebus student; plurimi maximis illis in republica praemiis ad laudem, ad opes, ad gratiam expositis incitantur, ut, quod natura negavit, audeant. Hinc ingenio destituti cum simulatione acutiores, quam sunt, videri velint, facile incidunt in corruptum genus dicendi, quo inanes sententias verborum colore obtegant; hinc inopes iudicii non vident, quid aptum sit rebus, temporibus et personis; hinc desidia diffluentes verborum sonitum facilius sese assecuturos esse sperantes, rerum copiam et doctrinae subtilitatem contemnunt. Quos si turba forensis adiuvat, si libero campo vagari licet, fit fere, ut multa velint et conentur, pauca possint et perficiant. Quamobrem id quoque existimo, omni tempore, quo ornatus illustrissimum inter virtutes oratorias locum obtinet, multos esse, quibus in honore sunt, ubi sola munditia requiritur atque elegantia, sesquipedalia verba; qui putant, omnem copiam et ornatum contineri copia verborum et inani volubilitate. Haec est communis omnium temporum ratio, ut miraremur, si legeremus, apud antiquos vitiosissimis oratoribus non esse datum locum, neque inventum esse quemquam in licentia compositionis vituperandum et levitate sententiarum. Atque eodem fere modo Cicero queritur de actoribus suae aetatis*), ut similem fere rationem temporum deprehendamus, si vim et dignitatem eorum ex vitiosissimis metimur hominibus. Quoniam igitur neminem puto unquam adduci posse, ut statuat, apud antiquos non fuisse homines de faece, Messala reprehendendus est,

a. quod antiquitati omnino laudem tribuit iusto maiorem, et quae de Ciceronis studiis acerrimis exposuit, in omnes transfert oratores illius temporis, quasi qui in numerum venerunt illustrium, omnibus artibus instructi fuerint, quasi Ciceronis doctrina et ratio nullos habuerint adversarios. Sed antiquarius muneri laudandi satisfacere sibi

*) Cf. de Orat. III, 33, 136: Postquam Cato nis doctrinam summis extulit laudibus, ita dicit: Nunc contra plerique ad honores adipiscendos et ad rempublicam gerendam nudi veniunt et inermes; nulla cognitione rerum, nulla scientia ornati. — Eloquentiam in clamore et in verborum cursu positam putant; omnium vero bonarum artium, denique virtutum ipsarum societatum cognationemque non norunt. Et de Orat. I, 33, 149 declamationes commendans, dicit: plerique in hoc vocem modo neque eam scienter et vires exercent suas, et linguae celeritatem incitant, verborumque frequentia delectantur. Fatetur Cicero, (Brut. 59, 214) optimos oratores parum artibus esse instructos, ut Sulpicium et Antonium. Quam pauci iuris scientiam sint amplexi, cognosci potest ex Cicer. de Orat. I, 38—41, ubi impudentia et inertia hominum vituperatur. Paucissimos philosophiae sese dedisse, omnes sciunt in literis Romanorum versati. Ac fuisse qui corruptum genus dicendi amplecterentur, inde colligas, quod Cicero oratores monet, ne in id vitium incidant. Cf. de Orat. III, 25 et 26, Brut. 55, 202; 75, 262, quo in loco Cicero laudatis commentariis Caesaris rectis et venustis, dicit: ineptis gratum fortasse fecit, qui volent illa calamistris inurere.

visus est augendo rem et exaggerando, ut antiquitatem optimam esse iudicaret, quia erant, qui in magna essent laude. Quanto melius egit Aper, qui universam vim et rationem aetatis posterioris exponeret, prudenterque proprias virtutes singulorum hominum a communi sciungeret dicendi genere.

b. Deinde Messala reprehensione dignus est, quod in comparandis temporibus optimos oratorum antiquorum non contulit cum optimis recentioris temporis, sed cum vitiosissimis. Quam quidem rationem in prudentem temporum existimatorem haud cadere, non opus est, ut accuratius demonstramus. Et causae, quibus permotus Messala iniquius aetatem suam tractavit, in promptu sunt; nam qui vituperare vult, ei vitia non virtutes largam praebent materiam. Quamobrem subtilem existimationem differentiae, in qua quidem exponenda omnis versari debebat disputatio, non invenimus. Nam non solum demonstrandum erat, fuisse nitidum aut corruptum genus dicendi, sed etiam exponendum, quid senserint docti homines de arte dicendi, ut certum quoddam amplecterentur genus ab antiquis spreum, deinde quam cognatione iuncta esset eloquentia cum universa eruditione aetatis atque forma reipublicae, et quaenam materia esset subiecta oratori. Quas quaestiones si movisset Messala, viam etiam sibi munivisset ad causas differentiae accuratius exponendas, quae aut in ingeniis et eruditione hominum, aut in iudicio et proposito, aut in temporum condicione et materia dicendi ponendae erant.

c. Postremo Messala iniquius suam aetatem videtur tractasse, quod aetatem non contulit cum aetate, sed antiquitatem omnem cum paucis eorum quibuscum ipse vixit. Nam cum vitiosissimos, ut supra vidimus, spectaverit, eos tantum puto exagitari potuisse, qui in praesentia forum et eloquentiam dedecorarent. Ex iis enim, in quorum scriptis calamistri et tinnitus inerant, cum Maecenatem solum et Gallionem commemoraverit, ceteri sunt operarii habendi, quorum actiones in clamore versabantur. Sed opera et memoria eorum cum cito evanescent et oblivione obruantur, puto Messalam vivos et praesentes persecutum esse. Hinc explicari potest, cur tanta ira invehatur, quippe consuetudine pugnandi et refellendi exasperatus, et ad offendendum pronus; deinde, cur ii, qui sermoni intererant, homines optimi ingenii et studii, nullam moverint dubitationem de sententia Messalae. Nam Maternus rebus forensibus omissis sanctiorem amplexus poesis, certe dum ipsam eloquentiam videtur spernere, voluit emergere ex angustiis forensibus, quibus suo tempore circumdata erat eloquentia, neque habebat, cur Messalae vehementem et acerrimam accusationem infringeret. Et Aper, qui recentiorum oratorum patrocinium suscepit, facile sane per speciem tantum repugnare existimari poterat, quia vir bonus et literis instructus turba ac barbarie forensi offendebar, neque illo tempore, quo dialogus habebatur, fortasse erant, qui boni vel mediocres existimandi essent. Quamobrem de vitiis hominum consentientes et cupidi melioris rerum status, ad antiquitatis contemplationem sese conferunt, ut, quam formam oculis non videant, eius imaginem memoria repetant. Unde fit, ut augustior videatur antiquitas, ut optimorum orationes versantes vitiis non offendantur, neque nisi perfectam speciem antiquo-

rum ante oculos habeant. In quam intuentes et in eius contemplatione defixi magis ex amore antiquitatis et admiratione, quam ex doctis rationibus de posterioris aetatis vi atque natura iudicant. Hinc etiam puto esse factum, ut fractae eloquentiae gradus non statuerent, quasi ars dicendi, Ciceronis aetate in illustrissimo posita loco repente in deterius sit conversa et praecipua erit. Hinc etiam potest explicari, cur Aper aequales defendens neminem protulerit nominatim, quia, ut Messala dixit, neminem voluit laedere eorum, qui persuasione fruebantur, se esse meros Cicerones*). Quae verecundia satis docet, eorum potissimum eloquentiam esse spectatam, quibuscum Maternus, Messala et Aper in quotidiano usu versabantur. Quid enim quaeso Aprum impedire potuit, quominus ad confirmandam sententiam de praeclaris novi saeculi studiis propositam exemplis uteretur illustrissimis Afri Domitiani, et ceterorum ingenii et eruditionis laude excellentium oratorum.

III. Ac sicut in exponenda vi et natura saeculi Messalam vidimus animo potius irato cessisse ad persequendum et offendendum, quam subtilitate iudicii adhibita muneri existimatoris docti satisfecisse, ita etiam in causis fractae eloquentiae expromendis nimio antiquitatis amore et odio aequalium ductus subtiliter et accurate versatus non videtur. Iam eas causas positas esse existimat in pravitate educationis et perversa ratione exercitationis declamatoriae. Ac primus locus gravissimus sane videtur. Nam si eum fingimus oratorem, qui turbidis reipublicae temporibus amore patriae ductus, vi et constantia languescens possit excitare ad acerrimum laborem, furentes et seditiosos fulminibus orationis deterrere a nefariis rebus, optimorum consilia et rationes confirmare, qui privatis in causis agendis opem ferat afflictis, malos acriter persequatur, denique qui virtutibus amicus, vitiis infensus sit, is sane optimis moribus ornatus deus praesens generis humani fortunam sapienter moderari videtur. Quamobrem, quoniam educationi magna huius laudis pars tribuenda est, operae sane pretium est cognoscere vias et rationes, quibus ad summas illas virtutes pervenire possis. Audiamus igitur Messalam. Is putat**), admirabilem illam vim antiquorum oratorum et perfectionem repetendam esse a severitate matrum in formandis pueris posita. Atque ne miremur, cur mulierum curae tantam vim adtribuerit, severitatis rationem nobis aperuit. Eligebatur enim propinqua maior natu, coram qua pueris non fas erat turpia dicere aut facere, ne in lusu et remissione quidem. — Scilicet hoc est in sinu ac gremio matris castae educari; laudabilis sane videatur severitas matrum, quae propinquae cuidam natu maiori liberos educandos tradant; aut si matres ipsae praecipuis et exemplis de pueris formandis bene meritae sunt, accuratus sci-

*) Cap. 26.

**) Cap. 28: Iam primum suus cuique filius, ex casta parente natus, non in cella emptae nutricis, sed gremio ac sinu matris educabatur, cuius praecipua laus erat, tueri domum et et inservire liberis.

licet scriptor severitatem earum putavit optime describi, si silentio praetermitteret, quae exponenda essent. — Et singularis a Messala existimatur ratio educandi illa, qua liberis, ut turpia dicant aut faciant, non permittitur. Nos quidem minimam partem educationis existimaverimus, vetare turpia, neque laudem tribuerimus prius quam ipsa illa severitatis ratio, qua liberi ab illicitis arceantur, uberius sit exposita. Quod omnino vero gravissimum esse omnes fateantur, excitari in pueris amorem honestatis, Messala non attigit, fortasse quia putavit sponte provenire optima quaeque, nec opus esse, cum natura sibi ipsi sufficiat, ut viae quaerantur ad semina boni et honesti elicienda. Nihilominus tamen illam educandi formam efficacissimam habuit ad rudia ingenia excolenda. Is enim puer, qui a muliercula prohibitus est, quominus turpia diceret aut faceret intra parietes, is pectore nullis pravitatibus detorto, sive ad militiam, sive ad eloquentiam, sive ad ius civile colendum optimis videtur esse instructus praesidiis. — Sic in ipsis domesticae disciplinae partibus exponendis leviter est versatus, sed magis in reprehensionem incurrat, quod, quae proprie ad oratorem fingendum pertinent, sive mores, sive artem spectas, non attigit.

1. Voluit quidem pauca praedicere de disciplina et severitate maiorum circa educandos formandosque liberos. Atque paucis sane contenti essemus, si disciplinam, quam adumbraturum se esse promisit, omnibus partibus subtiliter perspectis et notatis animo et cogitatione ita comprehendisset, ut universam eius vim ac rationem cognoscere liceret. Sed singula tantum et abrupta adtulit, quibus in universum honesti cuiusdam studii ratio, minime vero propria oratoris vis et facultas continetur. Nam si matres singularem gerunt liberorum curam, colligimus quidem, cum molles puerorum animi tanta formentur diligentia, probitati omnino summum tribui honorem in omni vitae parte. Verum quoniam domestica educatio matrum non omnem complectitur disciplinam, neque tanta ei potest vis tribui, ut, qui verecundia imbutus sit domestica, is etiam semina omnium virtutum suscepisse videatur et summam firmam voluntatis constantiam: equidem eas rationes non esse explicatas putaverim, quae potissimum ad oratorem fingendum pertinent, id est virum civilem, qui rempublicam omni virtutum genere, maxime sapientia, moderatione et gravitate regere possit atque tueri. Hae virtutes sicut ab optimis et acerrimis civibus ad rempublicam ornandam et defendendam referuntur, ita etiam igniculi earum et semina ingenii innata excitantur et eliciuntur in luce reipublicae, non in umbra domestica; qui in oculis et celebritate civium vivunt, hi eam sequuntur morum sanctitatem, eas virtutes, quae in civitatibus optime moratis illustrissimum tenent locum, immortalemque apud posteros relinquunt gloriam. Quamobrem si Messala partem tantum voluit explicare earum rerum, quae vim habent in futurum oratorem omni laude cumulandum, ad gravissimam omnium sane erat animus intendendus, ad formam et mores reipublicae; ad quam cum omnis educatio referretur, facilius certe, quomodo domestica instituta fuerit disciplina, conici poterat, quam ea sola descripta colligi de ratione omnis vitae publicae. — Atque his consideratis con-

cludo, Messalam in existimanda ratione temporum universam eorum vim non potuisse animo et cogitatione complecti, neque maiora illa et altiora suspexisse, quibus perpensis gravissimi et subtilissimi historici laus potissimum continetur. Eadem levitate etiam videtur iudicasse de vitiis sui saeculi, cuius impudentiam, histrionalem favorem et equorum gladiatorumque studium vituperat. — Nam quaero, num omnia nobis enumeraverit vitia? Aut, si illis singula et fusa ad universum voluit revocare genus, num summa adtulit et gravissima, ex quibus tanquam ex fonte cetera proficiscerentur? Et perversa illa educatio domestica num tantam habuit in oratorem futurum vim, ut, qui puer inter parietes coram servis impudenter loqui non dubitaret, is vir factus in foro quoque et curia apud gravissimos viros in impudentiam effunderetur? Ac vellem etiam accuratius nobis exposuisset, quomodo histrionale illud et equorum gladiatorumque studium mores civitatis ita corrumpere posset, ut nullus omnino honestis artibus relinqueretur locus. Nam quod pueri, aut domi, aut in auditoriis crebriores de illis rebus sermones habebant, quam de literis, id certe levitati eorum dandum, quae sicut omnibus temporibus omnium puerorum communis est, etiam apud antiquos obtinuit. — Nemo igitur existimaverit, mores posterioris saeculi accurate expositos esse a Messala vimque eorum in oratorem corrumpendum satis declaratam.

2. Deinde quod de moribus et disciplina domestica adtulit, id longius mihi videtur repetitum, quam ut, aut certae virtutes, aut certa vitia dicendi, siye saeculorum, siye singulorum oratorum possint explicari. Nam concedo equidem, ab oratore non solum scientiam exigi et exercitationem dicendi, sed etiam animi virtutes et summam probitatem. Sed probis moribus non continetur scientia et facultas ornate dicendi. Itaque cum disciplina domestica in pueris excitet studium optime agendi, explicatam tantum puto esse causam, cur pueri inhonestam omnino agendi rationem aspernantes ad studia sese dent literarum, et cur fieri possit, ut ad eloquentiam, ad philosophiam, ad iuris civilis scientiam sese conferant, acriterque in eo genere elaborent, quod sibi colendum sumpserint. Sed demonstratum esse non video, pueros verecundiae adsuetos ab illa futuros esse disciplina oratoria, quam Cicero fere solus inter Romanos professus est, ut philosophiam, geometriam, musicam et iuris scientiam oratori necessariam habeant, et usu atque exercitatione complectantur. Cuius rei testimonio est ipsa illa dissensio, quae erat inter Ciceronem et Quintum fratrem. Uterque enim eadem certe domestica disciplina institutus, optimisque imbutus artibus, tamen varie de arte oratoria sensit, neque pari modo profecit. Multi alii, qui optima usi sunt educatione, non sunt facti oratores maximi; nam alia via fert ad probitatem morum, alia ad scientiam et artem oratoriam. Sic etiam negari non potest, pueros, qui tempus literis destinandum voluptatibus capiendis terunt, neque ad laborem facti videntur, eloquentiam quoque contemnere et odio persequi. Quod qui faciunt, non commemorandi sunt, quia nec bene, nec corrupte dicunt. Verum qui certo cuidam generi dicendi operam dantes in vitia incidunt, ingenio videntur aut iudicio non valere, si optimum illud habent, sed turpis

desidia non sunt accusandi. Itaque si Messala demonstrasset, aut eloquentiam plane interiisse, quia nemo fuerit, qui industria et labore ad optima quaeque eniteretur, aut oratores venalem habuisse eloquentiam, ut recti et honesti studium plane deponerent, causam putarem idoneam fuisse, cur mores saeculi aut oratorum accusaret, et educationis eam partem reprehenderet, quae ad mōres illos pertineret. Verum sicut demonstrari non potest, educatione domestica vel optima fingi posse oratorem illum doctissimum, ita etiam nitidum illud genus dicendi aut inflatum nemo crediderit ortum esse ex impudentia puerorum aut ex histrionali favore et gladiatorum studio. Quanto melius Aper, qui cum novorum oratorum certam rationem dicendi ex universa aetatis eruditione et audientium voluntate repeteret, ex ipsis visceribus rei causas mutatae artis et doctrinae explicavit. Sed Messala fortasse sibi visus est accuratius atque doctius rem illustrare, si ad causas respiceret remotissimas. Atque vellem sententiam Messala confirmasset vita excellentium oratorum accuratius exposita. Nam paucissimorum certe oratorum vita ita innotuit, ut laudes eorum doctrinae atque eloquentiae a severitate propinquae natu maioris in puero formando posita repeti posset sine ulla dubitatione, aut si innotuit, operae certe erat pretium demonstrare, mulierculae severitatem et tristitiam maiorem habuisse vim quam institutiones doctissimorum hominum. Sed non est, ut hac de re uberius dicamus, quoniam Messala ipse tela ministrat, quibus possit peti. Nam unde factum est, ut apud antiquos illis temporibus, quibus sanctiores erant mores, oratores existerent pauci vix tolerabiles? Cur maior erat numerus optimorum oratorum dissipata fere republica et lapsa morum disciplina? Deinde si posterioris aetatis vitia tanta erant et tam late patebant, ut optimarum artium studia plane exstinguerentur, quomodo quaeso fieri potuit, ut non solum oratores existerent, quos Quintilianus antiquis pares habere non dubitat, sed etiam multitudo esset eorum, qui laude doctrinae et eruditionis florerent? Quae cum ita sint, colligo, aut falsum esse, quod de moribus aetatis posterioris adtulit Messala, aut eloquentiam posse vigere, etiamsi pueri coram servis impudenter loquantur, et gladiatorum histrionumque spectaculis gaudeant.

3. In comparandis aetatibus iniquum sese gessit existimatorem sui temporis, nimio antiquitatis amore obcaecatum. Nam videtur existimasse, omnes antiquos optimis fuisse moribus ornatos, Corneliaeque, Aureliae et Atiae, quas praecipua prosequitur laude, similes fuisse omnes matres. Iam quis non videat, mulieres illas tam singulari laude eam ob causam dignas habitas esse, quod inter ceteras illustriorem habebant locum. Quis igitur colligat ex trium matrum ratione educandi, omnes mulieres in eadem ratione fuisse laudabiles? Nonne fieri potest longo spatio, ut in civitate vel corruptissima tres existant mulieres probitate morum insignes? Sed iam cognovimus rationem Messalae, qua, quod singulorum est, ad omnes transfert. — Deinde, num morum illa sanctitas apud antiquos omni tempore erat eadem et constans, num etiam temporibus bellorum civilium et dissipata republica? Num histrionalis ille favor et equorum gladiatorumque studium, quod Messalae in aequalibus admodum vituperandum videtur,

incognitum erat veteri populo? Aut si minus grata erant apud antiquos histrionum et gladiatorum spectacula, cur Messala loquitur, ut existimes, veteres illis rebus plane non esse delectatos? Ac de saeculi sui moribus sentit Messala, quasi omnes inquinati fuerint vitiis, quasi iuvenum animis impudentia et desidia obsessis nullus omnino bonis artibus locus relictus fuerit. Iam vero si Tacitus hunc dialogum scripsit, quaerimus, cur memoria honestissimorum virorum, quos in Annalibus et Historiis commemoravit, animo observata non sit. Nonne in mentem venit, quod in vita Agricolae de matre optimi huius viri scripsit, eam mulierem fuisse rarae castitatis, et in eius sinu et indulgentia filium educatum esse; quae mulier cum non unica fuerit hoc saeculo optimis ornata moribus, eadem laude digni videri possunt novi, qua veteres, qui, cum tres mulieres singulari virtute instructae existerent, praecipua laude extollebantur. Quomodo denique factum est, ut Tacitus, qui in hoc dialogo saeculum plane damnavit, huius virtutes in aliis libris libenter agnosceret.

Sed postquam domesticam exagitavit disciplinam, rhetorum studia videntur irridenda esse ac damnanda. Ac primum vituperat praeceptores*), quod colligant discipulos non severitate disciplinae nec ingenii experimento, sed ambitione salutationum; deinde**), quod adolescentuli in scholas deducantur, in quibus nec locus nec condiscipuli ad vim ingeniorum corroborandam conferant. — Ac de primo loco, si quaerimus, num vera nobis tradiderit Messala, equidem assentior, multos fuisse, qui parentum gratiam, ut discipulos sibi colligerent, malis captarent artibus. Sed ut saepius vidimus Messalam laudes seu vitia paucorum ad omnes transferre, sic etiam in hac re eum puto vitia quorundam rhetorum nobis aperuisse, non communem omnium agendi rationem. Quae si fuit ita, ut Messala nobis exposuit, miror equidem, cur Quintilianus, sanctissimus vir, nihil de vitiis illis vulgatis rhetorum tradiderit, sed sine ulla dubitatione rhetorum studia et scholas commendet. Ac de altero illo loco, negari quidem non potest, in umbra scholarum, neque loco ipso, neque condiscipulorum familiari consuetudine maximos illos excitari potuisse affectus, quos splendore et magnificentia concionum veteris populi ortos esse scimus. Sed omnino non erat, cur tam acerbe Messala in aequales suos inveheretur. Reprehendit enim parentes, quod pueros in scholas rhetorum deducant obliti plane moris antiquorum, qui oratorem in ipso foro et in ipsis certaminibus corroborandum esse existimarent. Quasi apud antiquos rhetorum praecepta, nec cognita, nec accepta fuerint, neque quisquam declamaverit, nec iuvenes posterioris aetatis causis in foro actis interfuerint. Cur non refutavit Messala, quod Aper de industria et diligentia iuvenum dixit, qui tanto studio oratores sectarentur, ut, si quid ab his praeclare dictum esset, in colonias et provincias scriberent***). Deinde, cur causas non attigit, quibus

*) Cap. 29.

**) Cap. 35.

***) Cap. 20.

parentes illis temporibus permoverentur, ut in scholas rhetorum pueros formandos deducerent. Nam si conciones illae fuissent populi, quarum splendor atque maiestas apud antiquos omnes dicendi studiosos in forum vocabant, si iudiciorum forma non mutata esset, parentes sane accusandi erant, qui pueros a veris certaminibus ad ficta, ex sole in umbram ducerent. Sed quoniam republica oppressa etiam eloquentia illa splendida atque magnifica obmutuit, adiumentis utebantur doctrinae, quibus tum licebat uti. Deinde, cum novissimis temporibus de scripto plerumque dicerentur orationes, et maior desideraretur ars atque elegantia, in scholis rhetorum diligentius et melius imbui poterant pueri arte eligendorum verborum et componendae orationis, quam in turba rerum forensium.

Sed nunc ad gravissimum locum venio. Vituperat Messala *) stultitiam rhetorum, qui pueros ad certamina fori aptissime praeparare et acuere sibi viderentur exercitationibus plane contrariis, et quae a veritate abhorrent, velut de tyrannicidarum praemiis, vitiarum electionibus, pestilentiae remediis et incestis matrum; quarum quaestionum in foro nullus erat usus. — Atque in eadem sententia est, ut alios omittam auctores gravissimos, Quintilianus **), qui quidem etiam causas corruptae eloquentiae ab hac rhetorum stultitia repetendas esse existimat. — Neque vero negari potest, apparatu illo ex rebus sumpto, quae supra fidem sunt et ad scenicam tantum ostentationem accommodatae, succum et vires eloquentiae plane perdi, iuvenesque ludicris exercitationibus adsuetos in scholis, tirones esse, in forum cum veniant, et in ipso certaminis discrimine versentur. Quam vitiosam declamatorii operis partem Messala recte exagavit. Verum videtur totam rem damnare. Reprehendit enim aequales, quod parum elaborent in discenda antiquitate et in notitia rerum, hominum et temporum, quod non in ipsa acie ad certamina subeunda sese exercent; laudat antiquos, quod ludos impudentiae claudi iusserint, neque declamatorio opere sese exercere voluerint ***). Quibus rebus laudator antiquitatis satis demonstrat, se etiam malle ludos rhetorum claudi, inutilemque plane existimare eorum artem. Quod si voluit, vehementius quam verius de rhetorum studiis iudicat. Nam Cicero ipse ea non damnat †), sed id solum reprehendit, quod eloquentia angustis finibus circumscripta in verbis tantum elaborent struendis et illuminandis ††), neque rerum ornatum spectent et universi generis quaestiones †††).

*) Cap. 35.

**) Inst. Lib. II, 10, § sqq.

***) Cap. 11, Cap. 16.

†) De Orat. I, 32. — Cf. Quintiliani Inst. Lib. II, 10, §, ubi dicit: Sed eo, quod natura bonum est, bene uti licet.

††) De Orat. III, 31; cf. III, 24.

†††) De Or. II, 31.

Sed gravissimam partem eloquentiae tractant. Nam cum omnis oratio constet ex verbis et rebus, expoliendique sermonis maxima sit habenda cura, rhetorum praecepta, quibus explicatur, quomodo verba sint eligenda ac struenda, quomodo tota oratio sit conformanda, ut apta sit ad id, quod agatur, haud sane parvi sunt existimanda. Sed Messala in hac etiam re sibi constat, ut vituperet, quae vitiosa videantur, sed silentio plane praetermittat, quae laude digna sint habenda. Deinde alia est causa, cur omnino lenius rhetorum studia tractanda fuisse existimemus. Nam indignationi locus esse poterat, si rhetores muneri non satisficientes eas partes, quae sine ulla controversia ac dubitatione rhetorices propriae essent, neglexissent. Sed ipsa Ciceronis aetate, qua eloquentia maxime floruit, doctorum hominum de omni ratione dicendi sententiae diversae erant et plane contrariae. Erant, qui dicerent, eloquentiam segregandam esse ab elegantia doctrinae, et in quodam ingenii et exercitationis genere ponendam *); erant, qui oratorem mallent in iure et legibus versari, neque concederent, immensam rerum copiam ingenio unius hominis posse comprehendere, aut esse comprehendendam **). Et multis locis ipse Cicero de discidio queritur artium graviterque fert, quod oratores possessione depulsos mutuari oporteat ab iis, qui in eam irruperint ***). Itaque in doctrina ipsa cum non inter omnes conveniret, deinde cum philosophiae et iuris civilis docendi munus rhetoribus non concederetur, cur accusandi erant, qui, quod philosophorum proprium esse existimabatur, non tractarent? Sic Quintilianus, gravissimus auctor, ius civile et philosophiam omniumque artium scientiam oratori necessariam iudicat, tamen in ipsam philosophorum possessionem non irrupit.

Sed hisce expositis superest, ut sententiam meam in universum de ratione aperiam, qua Messala causas fractae eloquentiae exposuit. Ac videtur mihi Ciceronis librum de oratore ante oculos habuisse, in quo maximus ille orator et magister dicendi eandem fere rem tractavit. Quaerit enim, quid causae sit, cur, cum in omnibus artibus excellentissimi invenirentur homines, in eloquentia tam pauci omni aetate exsisterent, qui tolerabiles haberi possent †). Quam quaestionem ita explicat, ut demonstret, immensum esse oratoris campum, infinitamque tenendam ei rerum copiam, ut, quibus in singulis elaborare difficillimum sit, in iis omnibus excellere haud valeat orator ††). Eodem modo et Messala et auctor dialogi quaerunt, cur sua aetate nemo exsisterit, qui absoluta laude oratoria dignus possit existimari. Iam antiquarii cum speciem perfectissimae eloquentiae, quam, qui de arte praecipiant, mente tantum et cogitatione comprehendunt,

*) De Or. I, 2, 5.

**) De Orat. III, 36, 147.

***) De Orat. III, 27 extrem.

†) De Orat. I, 2 sq.

††) De Orat. I, 5.

ab antiquis expressam esse statuunt, causas, cur prior aetas excelluerit, et posterior degeneraverit, Cicerone duce optime explicari posse sibi persuadent. Nam antiquos omnia praecepta, quae ad perfectum oratorem fingendum pertinent, et perspecta habuisse, et observasse pro certo habent; hinc colligunt, fractae apud posteriores eloquentiae causas in negligentia et inscientia aut docentium aut discipulorum esse ponendas. Verum Messala vim quaestionis intellexisse non videtur, rhetorisque egit partes, ubi historici erant suscipiendae. Nam duplicem mihi vim habere videtur quaestio. Primum enim si quaerimus, cur perfectissimi sint oratores, explicanda est ratio perfectionis. Itaque enumerandae sunt virtutes et viae, quibus eas oratores consecuti sint. Quamobrem, si quis invenitur omnibus instructus ornamentis, is illustrissimum tenet locum; si cui desunt, is minore dignus habetur laude. Ad quod iudicium ferendum sunt adhibendi artis peritissimi, lubenterque audimus r~~h~~etorem docte et accurate vim artis explicantem. — Sed quaestio illa, cur perfectissimi sint oratores, ita etiam accipi potest, ut explicandum sit, cur certo quodam tempore exstiterint oratores perfectissimi. Ad quam quaestionem illustrandam adhibendus est historicus, qui vim et naturam temporum accurate perscrutatus causas exponat, quibus et ingenia excitata sint, et studia accensa ad perfectum genus exprimendum. Itaque Messala, si causas perfectae eloquentiae tradendis praeceptis et enumerandis virtutibus satis expositas esse putat, rhetoris partes egit, neque demonstravit, nisi antiquos virtutibus omnibus ornatos perfectissimos esse habendos deinde, si contemptui philosophiae et iuris civilis dandam esse putat causam, cur recentiores ab antiquis degeneraverint, rationem tantum huius eloquentiae exposuit et differentiam studiorum, neque probavit, nisi recentiores in genere dicendi versari minus laudabili. Sed quaeritur, unde factum sit, ut antiquis temporibus virtutes illae expeterentur, novissimis spernerentur; ita differentia temporum, non dicendi generum explananda est. Messala igitur cum vitia nobis novorum oratorum et desidiam iuventutis declaraverit, non attingit veram vim quaestionis. Nam quanquam non est huius commentationis in causas fractae eloquentiae accuratius inquirere, illud tamen monere non alienum erit, eloquentiae veterum recolendae locum dari ob temporum rationem non potuisse, quia non erant illustrissimae illae causae, gravissima certamina, conciones populi, affectus vehementissimi, ipsa denique occasio et libertas dicendi. Quibus rebus optimus quisque, ut orationem haberet ornatissimam et magnificentiae rerum accommodatam, summo excitabatur ardore. Praeterea maxima erant exposita praemia, sive ad gloriam, sive ad honores, sive ad gratiam popularem. Quibus incitamentis diligentiae cum novi oratores carerent, vehementius sane Messala videtur desidiam et oblivionem moris antiqui vituperare. Nam fingas eos acerrimo studio et optima doctrina instructos, tamen, cum in pari rerum condicione non versarentur, ad perfectionem antiquorum accedere nullo modo poterant. Et eo magis Messala videtur dignus esse reprehensione, quod ad orationem Apri, qui mutatam eloquentiam ex mutata ratione temporum, ex aucta eruditione et nova iudiciorum forma repetendam esse duxit, nimia antiquitatis admiratione obcaecatus non advertit. Omnino vero, si diligenter perpenderit, quod Ci-

cero dixit*), oratores eloquentiae laudem non adeptos esse, quod praecepta sequerentur, sed quae sua sponte homines eloquentes facerent, ea quosdam observasse, tum certe intellexisset, eloquentiae causas non in singulorum hominum voluntatem esse conferendas, sed ab universa eruditione et rerum ac temporum vi atque natura repetendas. Sic Ciceronis praecepta perfectissimam eloquentiam non adtulerunt, sed quod universae aetati tribuendum est, id in Cicerone perfectissime sese explicuit, atque maxime eminuit. — Sed hisce expositis demonstratum esse puto, Messalam destitutum ingenio et arte historici, rhetorem tantum egisse, qui, quod in scriptis Ciceronis de causis legiti-
tatis oratorum perfectissimorum, quoniam id in omnes omnium saeculorum oratores cadit, in suam aetatem commode sibi videretur transferre posse. Quamobrem aliud demonstratum esse non video, nisi oratores novos ad perfectionem illam, quam nemo fere ob incredibilem rei difficultatem est assecutus, et ipsos non accessisse. Sed quoniam, ex Messalae sententia, eloquentia ex praeceptis nascitur, neque homines ad vim temporum ac rerum adligantur, perfectionem veterum oratorum diligentiae adscribit, qua praecepta didicerint, et imminutam eloquentiam novorum a desidia repetit. Ita differentiam saeculorum optime illustrare se putat veterum praecepta recoquendo, quae ipse accurate didicit.

Sed Quintilianum etiam in quibusdam secutus est auctorem. Quod ut affirmem, ratio ipsa institutionis oratoriae a Quintiliano traditae, movet. Praecipit enim hic vir optimus, ut orator vir bonus sit; et affirmat, ne futurum quidem oratorem, nisi virum bonum**). Quam sententiam tam novam existimat, ut sese excusans dicat: „At nostra temeritas etiam mores ei conabitur dare et adsignabit officia.“***) — Quod praeceptum si novum existimat Quintilianus, auctor gravissimus et summa dignus fide, Messalam, qui etiam oratori mores et officia adsignat, id excogitasse haud credideris. Quamobrem puto, ab auctore dialogi, imbuto disciplina Quintiliani, Messalam ita loquentem inductum esse. — Sed in singulis etiam imitatore deprehendimus. Sic Quintilianus, summum informaturus oratorem, praecipit, ut quam maxima in principiis cura impendatur puero, neque quidquam negligatur tanquam parvum et contemnendum. Hinc iam in nutricibus eligendis maximam vult esse diligentiam, non solum ut mores spectentur, sed etiam ut quaeratur, num recte loquantur. Quam quidem curam non solum patribus commendat, sed etiam matribus.†) — Et recte videtur praecepisse Quintilianus, quia talis cura matrum efficit, ut pueri latine loquantur; qua virtute qui non est instructus, vix in numerum oratorum venerit. Deinde optime hanc diligentiam puerili aetati impendi iubet; nam ab adolescentibus, quibus maiora et difficiliora spectanda sunt, vix

*) De Orat. I, 32, 146,

***) Inst. Lib. XII, 1 sqq.

***) Lib. XII, prooem. 4.

†) Lib. I, 1, 3—6. Cf. Cic. Brut. 58.

par adhibetur diligentia ad vitiosam consuetudinem fere innatam repellendam. Sic Quintilianus prudenter vidit et praecepit, quod ad rem pertinet. Ac Messala certum illum locum de cura matrum etiam primum tractandum sibi sumpsit, in illo tantum discrepans a Quintiliano, quod, quae ad oratorem potissimum fingendum pertinent, uti supra vidimus, non attigit. Et omnino in causis imminutae eloquentiae explicandis eam viam iniiit, quam Quintilianus in summo informando oratore. Praecipit enim praeclarus ille magister dicendi primum de domestica institutione, deinde de studiis apud grammaticos et rhetores formandis. Eodem modo Messala causas fractae eloquentiae explicat, ut ordinem praeceptorum sequens omnem culpam primum in matres, deinde in grammaticos et rhetores conferat. Quasi in ipsis praeceptis etiam insit historia artis; quasi, si aliqua mutata sit forma eloquentiae, remotissimae causae et omnes partes institutionis ad explicandam mutationis rationem sint repetendae, et idem ordo, eadem vis, quae singulis praeceptis est in doctrina, in temporum insit mutationibus et vicissitudine.

De disputatione Materni.

Sermo Messalae abruptitur Cap. XXXV lacuna quadam. Ex iis, quae sequuntur, causa fractae eloquentiae ponitur in amissa libertate populi, in cuius sermonis fine sunt verba: Finierat Maternus; unde colligi potest, Maternum excepisse Messalae orationem. Iam varie de hac lacuna cogitarunt viri docti, ex quibus memoro Beckerum et Doederleinium.*) Atque Beckerus putat, Iulium Secundum excepisse sermonem Messalae, animique iudicium protulisse a Cap. XXXV usque ad Cap. XL, quo loco altera lacuna finem huius sermonis abstulerit. Quae sequuntur, alius plane interlocutoris esse putat, Materni, qui demonstrat, summam illam eloquentiam alumnam fuisse licentiae. Haec Beckeri ratio non placet. Nam sententiae plane sunt eadem, ut causam nullam videam, cur diversis tribuantur hominibus. Cap. XXXVI enim legimus verba: Nam etsi horum quoque temporum oratores ea consecuti sunt, quae, composita et quieta et beata republica, tribui fas erat: tamen illa perturbatione ac licentia plura sibi assequi videbantur. Et eodem Capite: Quae singula etsi distrahebant rempublicam, exercebant tamen illorum temporum eloquentiam. Et Cap. XXXVII: Sciamus, nos de ea re loqui, quae facilius turbidis et inquietis temporibus exstitit. Et Cap. XXXVIII: Transeo ad formam et consuetudinem veterum iudiciorum, quae nunc aptior est. Et conferas extremum hoc caput. — Hi loci satis declarant, virum, qui his Capitibus loquitur, eundem esse atque eum, qui a Cap. XL eloquentiae splendidae causas omnino in turbido reipublicae statu et in licentia ponit, atque praesentem formam reipublicae laudat. Neque aliam video differentiam, nisi quod auctor, quae antea fusa atque dis-

*) Cf. apud Orelli. pag. 95—100.

persa protulit, nunc complectatur et ad universam vim referat. Deinde non puto, Iulium Secundum orationem habuisse, quia per totum dialogum nihil omnino adtulit ad quaestiones propositas explicandas. Nam quanquam arbiter electus erat a Materno, ut aut vetaret cum facere versus, aut compelleret auctoritate sua ad possin colendam, nihil tamen rem diremit, sed (Cap. XIV) se utraque oratione delectatum esse affirmavit. Quamobrem cum Doederleinio sentio, qui etiam Iulio Secundo minores partes tribuit, et puto Maternum excepisse orationem Messalae.

Ac Materni oratio haec est: Causa splendidissimae veterum oratorum eloquentiae in forma reipublicae et libertate posita est. Nam conciones assiduae, accusationes potentium, inimicitiae domibus assignatae, factiones procerum, et frequentissima senatus adversus plebem inita certamina eloquentiam exercebant et oratores stimulabant, vel praemiis ad potentiam et gratiam expositis, vel ipsa cogente necessitate, quia apud Senatum et apud populum oratione excellere gloriosum habebatur, verum elinguem esse ac mutum dedecori erat. Deinde splendor rerum et magnitudo causarum maximam subministrabant eloquentiae materiam, magisque ingeniorum vim excitabant, quam causae minutae et sordidae. Tum in ipsis iudiciis spatium dicendi adstrictum non erat, aut, postquam definiri coeptum est, supererat splendor iudiciorum, clamor ac plausus totius populi; non erant, quae nunc sunt, tabularia et auditoria, in quibus causae non orantur sed explicantur, non erat solitudo, non vis iudicum, qua orationem interrumpere. Omnino eloquentia, cum non sit res otiosa et quieta, locum habet in republica dissipata et in maxima licentia. Unde cum melius sit, pace et securitate uti, hortatur amicos, ut bonis saeculi acquiescant.

Hac oratione videmus Maternum adtingere, quae Messala plane praetermisit. Ac dolendum esse mihi videtur, quod initium orationis Materni lacuna excidit. Fortasse Maternus sententiam suam de oratione Messalae exposuit, ut argueret, quod minus sibi videretur probabile, atque viam quandam munivit ad confirmandam suam sententiam, quae in multis partibus Messalae repugnat. Nam si eloquentia in turbida et dissipata republica maiores acquisivit vires, si licentia accusandi et potentissimum quemque vexandi omnium occupavit animos, si inimiciarum gloria incitamentum erat oratorum: qualis tandem est illa sanctitas morum, quam Messala tantis extulit laudibus, quam plena sunt omnia impudentiae et licentiae, quam exigua vis est verecundiae illius domesticae, qua puerorum animi a propinqua quadam natu maiore imbuebantur? Hanc differentiam sententiarum Messala audita oratione Materni aut sponte cognovit, aut monitu Materni praeparatus fortasse erat, ut diversam exspectaret sententiam. Nam Cap. XLII dicit: Erant, quibus contradicerem, erant, de quibus plura dici vellem. Utcunque vero res se habet, ad causas fractae eloquentiae ipsas cognoscendas opus est, ut quaeramus, quomodo partes hae dialogi inter se sint referendae. Sed primum spectemus argumentum orationis Materni. Ac sicut Messala putavit, ex praeceptis nasci artem causasque fractae eloquentiae inde explicari posse, quod nemo voluerit optima sequi praecepta, ita Maternus,

qui causas imminutae eloquentiae ex amisso concionum et iudiciorum splendore et erepta libertate repetit, videtur docere, artem non nasci ex praeceptis, neque potuisse novos oratores ad perfectionem veterum accedere. Ad quam sententiam iam alluisse videtur Cap. XXXIII, quo Messalam, institutionis oratoriae praecepta recoquentem, excitat, ut omissa explicatione institutionis puerilis sese convertat ad describendas exercitationes iuvenum, qui forum ingressi sint; nam non arte et scientia, sed longe magis facultate et usu eloquentiam contineri pro certo habet. Sic Maternus omnem artem dicendi ab elegantia doctrinae segregare videtur, et in quodam ingenii et exercitationis genere ponere. Iam suo exemplo, cum ad poeseos studium animum transtulerit, affirmasse videtur, eloquentiam, cui ampla desit materia, nullam esse et omnino deserendam. Itaque, quos in foro vox oratoris insequi non potest, eos petit tragoediis componendis. Et, quoniam ficta argumenta poetica materiam oratoriam ereptam satis compensabant, temperantia quadam uti ei licuit, hortanti amicos, ut, quoniam pax et securitas in republica parta esset moderatione unius, bonis saeculi contenti essent, neque licentiam requirerent, quam stulti libertatem vocarent. Sic ne desiderat quidem eloquentiam, cuius usus nullus est. Iam multi viri docti de hac parte disputationis Materni statuerunt, abhorrere eam a moribus viri acerrimi et a ceteris eiusdem sententiis. Et mihi quidem etiam antea ita visum est. Nam qui ad poesin animum convertit, ut potentissimos vexet, qui eloquentiae studium deponit, quia in causarum privatarum sordibus versari non vult, is certe non est promptus existimandus ac paratus in obsequium potentium et in laudationem sui temporis. Sed videtur mihi Maternus partim veram animi sententiam edidisse, partim simulatione quadam usus esse. Primum enim iam supra commemoravi, Maternum quietum reipublicae statum laudare potuisse, quia, quod in foro et concione desideraret, recitationibus tragoediarum sibi datum erat. Sic eloquentia quidem quanquam nulla erat, tamen tela aderant, quibus peti possent potentissimi; in quorum vexatione cum omnem eloquentiae vim poneret, non erat, cur veterum licentiam amissam quereretur. Deinde, si accurate consideramus, quod de virtutibus saeculi dixit, mens Materni non videtur esse ea, quam verbis praetexit. Nam qui dicit, in senatu optimos cito consentire, de republica non imperitos et multos deliberare, sed sapientissimum et unum, non opus esse voluntariis accusationibus, quum tam raro et tam parce peccetur, hoc qui dicit, is haud dubie adulatur. Quod cum in universum a persona Materni abesse videatur, tamen puto, eum simulatione quadam uti. Nam quis unquam consensionem senatorum cito factam optimis tribuerit moribus, quasi nulla res in dubitatione relinqui posset, atque, qui dissentirent, litigiosi et seditiosi existimandi essent? Quis Senatum veterem, quis populum Romanum revera imperitum habuerit, et moderationem et imperium unius sapientissimum? Quis crediderit, tam raro, tam parce peccatum esse, ut accusationibus opus non esset? Scilicet quietus ille reipublicae status silentio ortus est, quod invitis graviter erat impositum moderatione et imperio unius. Sed quoniam Maternus, potentes quosdam, quibus maxime fortasse erat infensus persequendo, satis explevit ulciscendi cupiditatem, neque habebat, cur

principem laederet et offenderet, puto equidem, eum more oratorum, qui inferiorem rem reddere possunt meliorem, qui augent res et extenuant, per speciem et simulationem laudasse, quod minus erat laudandum, neque ubi ipse erat irritatus et offensus, voluisse irritare et offendere. Sic iudicaveris, Maternum in describenda vi et natura saeculi ad ea tantum adtendisse, quibus ipse potissimum afficeretur atque excitaretur, sumpsisse partes vituperandi-ea, quae sibi minus grata essent atque iucunda, et laudasse vel lenius tractasse, quae delectarent animum aut minus offenderent. Itaque, sicut Messala, assidua contentione cum rhetoribus exasperatus, antiquitatem optimam iudicat, et praeceptis omnem artem contineri putat, ita Maternus, potentissimis infensus, omnis artis fontem ex ampla materia et licentia vexandi et accusandi repetendum esse duxit. Sic ne Maternus quidem doctis rationibus et historico dignis, vim et naturam saeculi existimavit, sed muneri satisfecisse se putat vituperando, quae offenderent, et laudando, quibus animus delectaretur. — Verum si quaerimus, quomodo extrema dialogi pars cum priore cohaereat, fatendum mihi videtur, abruptas esse partes neque apte inter se referri. Nam quoniam Maternus de perfectissima forma oratoris sententiam suam non proposuit, neque, qualis suo tempore fuerit ratio dicendi, explicavit, nescimus, utrum cum Apro sentiat, qui nitorem et cultum aequalibus suis tribuit, et temporibus aptam rationem dicendi, an cum Messala, qui fucatum et corruptum genus dicendi novorum oratorum proprium habet. Deinde non videmus, quid de ratione senserit Maternus, qua orator perfectissimus ille a diserto distinguatur, in qua differentia exponenda totius dialogi vis potissimum vertitur. Omnino, quid de doctrina et arte statuatur Maternus, non patet; neque vero tam levis est hic locus, ut in explicanda differentia generum dicendi possit plane praetermitti. Nam etiamsi uberrima proposita sit materia et splendidissima, tamen artificium ipsum haud statim oritur, sed multiplex et copiosa doctrina est adhibenda, acerrimoque opus est studio, ut summam assequaris laudem oratoris. Nam multis causis agendis volubilitatem quandam comparare sibi possunt actores, celeres motus ingenii, vehementissimos affectus et facilitatem in rebus tractandis. Quibus quidem effici potest, ut apte dicatur ad propriam rei utilitatem, minime vero ornatus ille existit et eminet, in quo et propria vis oratoris cernitur et gloria antiquorum. Sic intelligi non potest ex oratione Materni, utrum amissa materiae magnificentia nitorem et cultum appetiverint oratores novi, an fucatum dicendi genus, an exile et ieiunum, denique, utrum boni habendi essent an vitiosi, utrum accommodate ad rem dicerent, an inepte. Illud tantum cognovimus, novos oratores, cum splendida deesset materia, non potuisse dicere ratione antiquorum. Atque Messala cum putet, noluisse oratores ornate dicere, in re quidem consentire videtur cum Materno, cum novorum eloquentiam antiquis parem non esse habendam censeat, sed discedit ab eo in causis explicandis; dissentit de vi ipsa eloquentiae, quam doctrina contineri putat, ut Maternus usu atque exercitatione; dissentit de moribus antiquorum. Quae partes quomodo sint inter se comparandae et ad universam vim ratione concludendae et arte, auctor dialogi non exposuit, qui ipse non ingenio ad quaestionem explicandam voluerit uti, sed memoria ac

recordatione, ut, quae ab aliis excogitata essent, repeteret, et formam animi et ingenii cuiusvis disputantium redderet.

De disputatione Apri et Materni.

Nunc videamus de disputatione Apri et Materni Cap. V — XIII, quam separandam esse duxi, quia ad rem, quae potissimum agitur, minus pertinet, neque satis apta atque connexa videtur esse cum insequenti parte. Atque rationem huius partis hanc esse existimo: Maternus recitato Catone in magnam venit offensionem potentium. Atque reprehendit eum Aper, quod omne tempus gravissimis officiis destinandum fictis consumat controversiis, ut, ubi amicorum causae atque coloniarum municipiorumque clientelae in forum vocent, Romanas historias et Romana nomina fabulis Graecorum adgreget. Qua quidem reprehensione Aper, famae et securitati amici consulens, revocare vult Maternum a studio periculoso potentissimos in tragoediis vexandi, minime vero ipsius poeseos vim atque dignitatem imminuere.*) Sed Maternus, rem propriam ad universi generis quaestionem traducens, controversiam movet de praestantia poeseos et eloquentiae, arbitrumque sibi eligit Iulium Secundum. Itaque Aper, acerrimus causarum actor, vim eloquentiae laudat; qua nihil ad utilitatem sit fructuosius (Cap. V); ad voluptatem, sive accurata oratio sive subita adferatur, nihil incundius (Cap. VI), ad famam nihil illustrius. (Cap. VII, VIII.) Deinde extenuat dignitatem poeseos, quae nullam adferat utilitatem, voluptatem et famam. Hinc hortatur Maternum, ut, quoniam natura ad eloquentiam feratur, in eam plane sese det, atque securitati consulat, quae melius patrocínio amicorum, quam Catonis suscipiendo comparetur. Ad hanc Apri disputationem Maternus ita respondet, ut primum sanctitatem poeseos extollat, quae bene facta laudibus ornent; deinde vim eloquentiae elevet, quae malis moribus nata et in locum teli reperta, male admissa defendat. Neque gloria videtur destituta poesis, quae deorum consuetudinem deferat hominibus, maiorem apud posteros comparet famam, et omnino maximam quietem adferat atque securitatem. — Quas orationes si accurate consideramus: neque eloquentiam ipsam puto ab Apro, neque poesin a Materno esse laudatam, sed utrumque protulisse, quo in tractanda re ipse potissimum delectaretur, et quod ad studium eloquentiae et poeseos illo temporum ac rerum statu pertineret. Itaque Aper, cuius sententias prius consideremus, non eloquentiae vim descripsit, sed usum forensem laudat atque tractationem causarum. Nam, quoniam Maternum revocare vult in forum ad causas amicorum defendendas, et ad clientelam coloniarum suscipiendam, putat facillime se causam obtinere posse, si Materni animum flectit ac permovet incitamentis utilitatis et honoris adhibitis. Atque ut Aper Maternum acerrimum

*) Cf. Cap. X.

causarum actorem cognovit, sic fortasse etiam causae erant, cur sibi persuaderet, Maternum tali oratione et argumentatione posse commoveri*). Illud vero pro certo accipi potest, eloquentiae patronum esse Aprum eam ob causam, quod ipse honores est adeptus, et nominis immortalitati minus consulens, iis voluptatibus et laudibus gaudet ac gloriatur, quibus in praesentia est affectus. Sed oratorum more, qui rem augendo illustriorem facere student, negotia forensia et sordidas occupationes nomine ornat eloquentiae, quae doctissimorum hominum arte continetur, iisque iusto maiorem tribuit auctoritatem. Videmus igitur, non eloquentiam illam perfectissimam laudari, sed usum forensem; non admiramur maximum illum oratorem, sed operarium quendam habemus, qui in foro et subselliis habitat; omnino eloquentiam videmus descriptam esse, qualis illis potissimum temporibus viguit. Et rationes, quibus Aper usus est ad sententiam confirmandam, ex libris Ciceronis sunt petitae, sed ita ut, quod Cicero de admirabili vi eloquentiae proponit, id Aper ad sordidam et illiberalem referat rationem, et exemplis sui tantum temporis illustret. Sic de utilitate disserens (Cap. V), ad quam omnia consilia factaque sint dirigenda, laudat eloquentiam, qua periclitantibus salutem, inimicis terrorem feras, ipse securus et velut quadam perpetua potentia ac potestate munitus. Haec sunt fere verba Ciceronis**). Sed quod orator perfectissimus partim ad necessitatem refert, partim ad liberalitatem et munificentiam, hoc Apro ad utilitatem et securitatem pertinere videtur. Et confirmat sententiam exemplo Eprii Marcelli, qui homo non erat egregius moribus, ut Aper ipse dicit***). Qua ratione qui eloquentiam defendit, demonstrat, eam esse, ut Maternus dicit †), lucrosam, et minoris dignitatis. — Ac de voluptate disserens, repetit, quae Cicero de eadem re dixit ††), in eo tantum discrepans, quod admirabilem vim eloquentiae, qua orator id, quod omnibus natura sit datum, vel solus, vel cum paucis facere possit, ad ostentationem referat, ad comitatum, venerationem et silentium exspectantium. Sic Aper, cum argumenta sententiarum ab antiquis mutuatur, demonstrare tacite videtur, antiquitatem esse fontem, ex quo, quod ad ornandam rem pertinet, hauriendum sit. — Atque cetera argumenta, ex gaudio secreto sumpta, quo orator afficiatur, dum aut meditatam orationem habet, aut subito dicit, infirma sunt habenda, partim, quod in omnes cadunt, qui industria et diligentia ad artes colendas accedunt, partim, quod Aper suo exemplo, sua laetitia demonstrat et illustrat. Sic etiam, quod de gloria dicit oratorum, qui a iuvenibus colantur, digito demonstrantur, a peregrinis requirantur, atque acerbis et titulis ornentur, id non solum oratori, sed omnino clarissimo cuique omnino contingit. Verum quod exemplis utitur

*) Cap. 5. Plura de utilitate non dico, cui parti minime contradicturum Maternum meum arbitror.

***) De Or. I, 8, §2.

***) Cap. 8.

†) Cap. 12.

††) De Orat. I, 8, §1.

Vibii Crispi et Eprii Marcelli, quorum neuter erat moribus egregius, et qui tum potentissimi erant, vim eloquentiae imminuit. Demonstrare enim videtur, oratores novos malis moribus uti, et eloquentiam exercere minus honestam. Hisce perpensis concludo, auctorem dialogi sermone Apri novum saeculum voluisse describere, et animos praeparare ad laudationem antiquitatis. Quae sententia confirmari posse videtur, si causam reputamus, cur Aper de gloria et fama oratorum disserens, novis exemplis lubentius uteretur, quam remotis et oblitteratis. Putavit fortasse Aper, si ad antiquorum exempla animum adverteret, auditores, comparatione saeculorum instituta, de amisso eloquentiae splendore cogituros esse. Quod ut prohiberet, suae aetatis exempla proposuit, sed iis, qui accuratius considerabant, tela ministravit, quibus peti posset. Nam de gloria virorum nihil adtulit, quod ad immortalitatem nominis possit ducere, de voluptatibus ea commemoravit, quae cito transeunt et mox oblivioni dantur. Sic vera gloria eloquentiae antiquitati solum tribuenda videtur. Hisce expositis puto facilius posse intelligi, cur Maternus poesin ea ratione laudet, quam nobis proposuit. Temporis enim sui imaginem exprimit, suum animi iudicium et suam agendi rationem defendit. Nam cum eloquentiam deseruerit, malis moribus natam, et male admissa defendentem, eloquentiae ipsi non est infensus, sed suo tempori, quo eloquentia lucrosa erat et sanguinans et in locum teli reperta. Quamobrem optimus quisque cogi videbatur, ut, sordidis illis forensibus negotiis relictis, ad liberam animi oblectationem poesin colendam eligeret, quae sola erat relicta, ut, quem statum rerum oculi non viderent, eum memoria et cogitatione repeteres. Sic Catonis virtus, quae tum interiit, in tragoedia poterat revocari; sic libertas dicendi, tum foro spreta et pulsa, poetis nondum erepta erat; sic gloria apud posteros, qua eloquentia illius temporis destituta videbatur, carminibus comparari poterat. Nam quanquam oratores ad consulatus pervenirent, tamen Maternus eam potentiam haud magni existimandam esse putavit, quam adulationibus deberent. Omnino poctam existimavit Maternus, quoniam curis solutus esset et necessitate contra animum aliquid faciendi, maxima frui animi tranquillitate et securitate. Hisce expositis puto demonstratum esse, de universa eloquentia non esse sermonem, sed de certa quadam forma, quae illis temporibus vigit; neque de poesi contendi, sed de meliore quodam statu rerum, quem animo et cogitatione complecterentur. Itaque Maternus, in cuius animo insidet species quaedam honesti et excelsi, iam initio dialogi perfectam formam voluit significare, ad cuius similitudinem oratorum studia sint dirigenda. Ex angustiis enim rerum forensium, quales tum erant, educendus est orator et in campo constituendus libero atque amplo; operarii partibus spretis, humanitate ornandus est et liberali doctrina. Hac cogitatione legentium animi occupati, facilius possunt abalienari a studiis et rationibus novi temporis, quas Aper deinde defendere conatus est, et ad admirationem antiquitatis ab antiquariis abripi. Quod si statuimus, explicari etiam potest, cur animum supervenientis Messalae, cui controversiae rationes aliunde certe notae erant, cogitatio subiit quaestionem proponendi de causis differentiae, videturque dialogus apte procedere a re exposita ad causas eius explicandas. Hinc etiam intelligi

potest, cur longius sit productum prooemium; gravissima enim videbatur temporis descriptio, maxime, quia iis, quae Messala de pravis moribus, et Maternus de amisso rerum et iudiciorum splendore dixit, maior adfertur fides.

Iam hisce de ratione libelli expositis et de natura studiisque disserentium, puto equidem, si rem propositam spectas, auctorem ipsis cum antiquariis sentire, et, quam admirationem antiquitatis, quam vehementiam affectuum illis tribuit, eadem et ipsum esse excitatum et plenum in exploranda et describenda vi temporum. Ac de forma quidem dialogi, puto, eam non fuisse habiti, quam scripti eius legimus. Nam, quoniam auctor in universum mores virorum et peculiarem cuiusvis rationem sentiendi uberius et perpetua oratione explicavit, neque sentiendis accuratius inter se comparatis, certum quoddam conclusit iudicium: puto equidem eum, quod variis temporibus ex viris illis audivit, et eorum proprium esse cognovit, congressisse, et in formam dialogi, ex Ciceronis imitatione, redegit. Quae sententia si vera est, propria auctoris ars ratione illa continetur, qua partes dialogi connexit. Et, quoniam disputatione Apri et Materni animos legentium prudenter ad id praeparavit, quod antiquariis erat gravissimum, deinde, quod Apri rationes, quibus hic ad defendendam suam aetatem utebatur, artificio quodam ita elusit, ut antiquarii in possessione consistere viderentur, patronus causarum mihi videtur existimandus callidus et usu satis exercitatus. Neque vero antiquarios sequens illos, ingenio et arte historici ornatus videtur, praesertim cum ipse proprium iudicium non adferens omnem artem ponat in exprimenda forma animi et ingenii virorum, memoria tantum ac recordatione usus.*) Deinde genus dicendi disputantium, cum eandem plane formam deprehendas eorum, qui et ingenio et studiis et motibus animi vel maxime inter se discrepant, proprium habendum mihi videtur auctoris,

*) Auctor fortasse temporum quadam ratione iniqua permotus est, ut hunc dialogum ederet, quem Domitiano occiso scriptum esse existimo. Num Aper et Iulius Secundus, cum Cap. II vocentur celeberrima tum ingenia fori, mortem iam videntur obiisse. Atque Iulius Secundus, cuius Quintilianus mentionem facit, Inst. Lib. X, 1, 120, certe ante necem Domitiani esse mortuus videtur. Iam de Materno est locus in dialogo, ad necem eius alludens, quae, teste Dione Cassio 67, 12, Domitiani iussu facta est. Nam Cap. XIII dicit Maternus: „nec incertus futuri testamentum pro pignore scribam: nec plus habeam, quam quod possim, cui velim, relinquere, quandoque fatalis et meus dies veniet statuarque tumulo non maestus et atrox, sed hilaris et coronatus;“ quo de loco vide interpp. Sed tempore Vespasiani, quo dialogus est habitus (cf. Cap. XVII) cum oratori pericula illa ob mite imperatoris ingenium non timenda essent: (cf. Suet. Vespas. Cap. 13, 14 et 15) puto equidem auctorem dialogi, ut memoria crudelitatis et amissae libertatis dolor maiorem sermoni adderet fidem, Materno verba illa subiecisse. Omnino vero mihi persuadeo, auctorem hominem illorum mores et ingenium, dum ipsi viverent, exprimere et omnium iudicio subiicere haud facile esse ausum. Ac Domitiani tempore dialogum, quoniam periculosum erat omissam libertatem queri, non editum esse existimo, sed Nervae fortasse, aut Traiani tempore.

qui, quod quidem demonstrare ab hac commentatione est alienum, Ciceronem exprimere imitando studuit.

Quae cum ita sint, puto viam esse commonstratam et ad fontes intendi, ex quibus, quid de Tacito auctore statuendum sit, hauriamus. Habemus enim locos, quibus, qui in comparatione utantur, eos certius aliquid de quaestione illa adlaturos esse speraverim; ex quo genere puto esse locos de forma eloquentiae, de rationibus, quibus novorum oratorum nitor et cultus existimetur, de antiquitate et novissimis temporibus, de moribus hominum, omnino de arte illa, qua vis et natura temporum diiudicentur et describantur, postremo de ipso genere dicendi. Quae comparatio cum non sit huius loci, alio tempore iis de rebus uberius disserere mecum constitui.

Pag. 16, lin. 4 lege: *Atque in pro: Ac in.*

I.

Schulnachrichten.

Am 4ten August des v. J. früh um 2 Uhr starb an der Asiatischen Cholera, nach zwölfstündigem Leiden, Herr Friedrich August Carl Freiherr von Kospoth, Ober-Bürgermeister dieser Königlichen Haupt- und Residenzstadt, Ritter des rothen Adler-Ordens dritter Classe und Curator der Kirche, des Gymnasiums und der Töchter-*schule* zu St. Maria Magdalena. Sein unvermutheter Tod erregte die schmerzlichsten Gefühle in allen Bewohnern unserer Stadt und versetzte das Gymnasium in tiefe Trauer; denn es verlor in ihm einen edelmüthigen Beschützer, der nicht nur durch eifrige Beförderung alles Guten sich große Verdienste um die Anstalt erwarb, sondern auch durch treue Sorgfalt für das Beste der Lehrer sich in den Herzen derselben ein unvergängliches Denkmahl der Liebe und des Dankes errichtet hat. An seine Stelle trat als Curator Herr Bürgermeister Lange, der das Magdalenaecum schon früher durch seine freundschaftlichen Verhältnisse mit dem Rector Manso und dessen Nachfolger näher kennen gelernt hatte. Den 28. December d. v. J. stellte der Rector ihm das gesammte Lehrer-Collegium vor.

Seit Michaelis d. v. J. hat der Rector die meisten seiner Lectionen wieder angetreten.

Der Candidat des höhern Schulamtes und Mitglied des K. Pädagogischen Seminars, Carl Lachmann, übernahm einige Wochen, während einer gefährlichen Krankheit des Dr. Rüdiger, mehrere Vertretungsstunden in Großtertia. Späterhin wurde er als ordentlicher Lehrer nach Lauban berufen.

Der Candidat des höhern Schulamtes und Mitglied des Königl. Pädag. Seminars, Eduard Bauch, übernahm 4 Stunden wöchentlich in Großtertia. Er erklärt den Curtius und hat das praktische Latein.

Der Candidat des höhern Schulamtes, J. Fiedler, kam nach Breslau, nachdem er vorher, der Verordnung eines Hochlöbl. Prov.-Schul-Collegiums gemäß, ein Jahr in Brieg als Hülflehrer mit gutem Erfolge unterrichtet hatte, und erbot sich bei seiner jetzigen Muße ein Paar Stunden unentgeltlich im Gymnasium zu geben. Der Rector übertrug ihm den Unterricht in der Geometrie in der eben erst errichteten vierten mathematischen Classe.

Um den mathematischen Cursus zu vereinfachen und in einen so genauen Zusammenhang, als nur immer möglich, zu bringen, übernahm der bisherige Lehrer der Mathematik in Prima, Dr. Köcher, auch noch denselben Unterricht in Secunda, und der bisherige Lehrer dieser Wissenschaft in Secunda, Dr. Hahn, übernahm denselben Unterricht in Groß- und Klein-Tertia, in welcher letztern Classe jedoch interimistisch Herr C. Fiedler 2 St. w. lehrt.

II.

Anordnungen des Königl. Hohen Ministeriums der Hochlöblichen Provincial-Schul- und Orts-Behörden.

Vom 2. April 1832. Rescript des Königl. Prov. Schul. Collegii, enthaltend die Bestimmung: das diejenigen Schüler, welche die Abiturienten-Prüfung in einem Gymnasio bestanden und das Zeugniß Nr. III. erhalten haben, eben so, wie die von der Königl. wissenschaftlichen Prüfungs-Commission geprüften Immatriculanden, denen das Zeugniß Nr. III. zu Theil geworden, hinsichtlich eines fernern Examen behandelt werden sollen. — Diese Bestimmung soll von Zeit zu Zeit den Schülern der ersten Classe bekannt gemacht werden.

Vom 7. April. Das Königl. Prov. Schul. Collegium macht aufmerksam auf das vom Regierungsrath und Professor Graff herausgegebene Gedicht „Krist von Otfried,“ um dasselbe zum Gebrauch für die obern Classen der Gymnasien anzukaufen.

Vom 16. April. Von derselben Behörde. Das von dem Privat-Dozenten Dr. Minding zu Berlin herausgegebene Buch „über die Anfangsgründe der höhern Arithmetik“ wird zur Beachtung empfohlen.

Vom 14. Mai. Verfügung Eines Hochlöbl. Prov. Schul. Collegii: Es soll bei Einreichung der jährlichen Listen und Berichte über das Gymnasium zugleich mit angezeigt werden, wie viel Schüler der andern Confession vorhanden sind, in welcher Art und mit welchem Erfolge ihnen der Religions-Unterricht ertheilt wird, in wie viel Classen die Schüler getheilt und in wie viel Stunden sie den Religions-Unterricht erhalten; auch ob insbesondere die Stunden so gelegt sind, das sie mit den übrigen Religions-Stunden des Gymnasii zusammenfallen und keine Störung der andern Lectionen dadurch veranlaßt wird.

Vom 18. Mai. Verfügung Eines Hochlöbl. Magistrats, in Beziehung auf die Zahlung des Schulgeldes, welches die Eltern unserer Schüler nicht bloß für die Zeit zu entrichten verpflichtet sind, während welcher dieselben wirklich Theil an dem Unterricht genommen haben, sondern auch für die Zeit, während welcher dieselben wegen der Schulferien, wegen Krankheit oder Abwesenheit von hier, die Schule nicht besucht haben. Es findet hier ein wechselseitiger Vertrag Statt, durch welchen die Eltern und Vormünder sich ihrer Seits verbindlich machen, für die ganze Zeit, während welcher ihre Kinder oder Pflegebefohlene, Schüler der Anstalt bleiben, ohne Unterschied, ob sie dieselbe besuchen oder nicht, das verfassungsmäßige Schulgeld zu bezahlen; die Unterrichts-Anstalt dagegen verpflichtet wird, den aufgenommenen Schülern bis zu deren förmlichen Wieder-Austritt aus der Schule ihre Plätze offen zu lassen.

Vom 12. Juni. Verfügung des Königl. Prov. Schul. Collegii: Es soll künftig alljährlich ein Exemplar von jedem erscheinenden Gymnasial-Programme, bald nach der Herausgabe desselben, an die Königliche Bibliothek zu Berlin unmittelbar eingesendet, auch ein Exemplar aus den früheren Jahren, falls noch welche vorhanden sind, beigelegt werden.

Vom 13. Juli. Verfügung Eines Hochlöbl. Magistrats die Erhöhung des Schulgeldes betreffend. Vom 1. Octbr. 1832 zahlt jeder neu aufzunehmende Sohn eines hiesigen Einwohners, er sey Bürger oder Schutzgenosse, monatlich 1 Rthlr., und, wenn er der Sohn eines Fremden, d. h. eines nicht hiesigen Einwohners ist, 1 Rthlr.

15 Sgr. Die Schüler, welche sich in unserer Elementar-Unterrichts-Anstalt befinden, zahlen, wenn sie nach Sexta eintreten, 1 Rthlr. — Diejenigen Schüler, welche am 1. Oct. d. J. sich bereits in dem Gymnasium befinden, trifft diese Schulgeld-Erhö-
hung nicht, in so fern sie Einheimische, d. h. Söhne hiesiger Bürger oder Schutz-
verwandten sind. Diese entrichten nach wie vor 20 Sgr. monatlich bis zu ihrem
Austritte aus dem Gymnasium. In so fern aber diese bereits vorhandenen Schü-
ler nicht Einheimische, sondern Fremde sind, so haben dieselben anstatt der bis-
herigen 20 Sgr. vom 1. October dieses Jahres an 1 Rthlr. monatlich zu bezahlen.
Diejenigen Schüler, welche zur Zeit ganz oder halb freien Unterricht genießen,
verbleiben in dem Genusse dieser Wohlthat. Es nöthigen aber die Umstände der
Schul-Cassen, hinführo bei der Bewilligung dieser Benefizien, besonders an Aus-
wärtige, nicht mehr so willfährig zu seyn, wie bisher; welches hierdurch bekannt
gemacht wird.

Vom 1. August. Ein Königl. Provincial-Schul.-Collegium übersendet des
Prof. Webers neuestes Handbuch der ökonomischen Literatur zur Aufbe-
wahrung in der Bibliothek des Gymnasii.

Vom 2. August. Ein Königl. Prov. Schul. Collegium genehmigt den für das
Sommer-Semester angefertigten Lectionsplan, und bestimmt, wie es wegen des Reli-
gions-Unterrichtes der katholischen Gymnasiasten gehalten werden soll.

Vom 15. August. Rescript des K. Prov. Schul. Collegii, die Einrichtung der
Morgengebete betreffend, und zugleich eine Aufforderung an den Rector, zu berichten:
welche Einrichtung bezüglich der Morgengebete im Magdalenaco dermalen besteht;
ferner sich auch gutachtlich zu äußern: ob die Haltung eines solchen allgemeinen
Morgengebetes, wie es in dem Rescript angegeben worden, im Magdalenaco einzu-
führen seyn möchte?

Vom 15. August. Rescript des K. Prov. Schul. Collegii, betreffend die Ein-
richtung: das jeden Sonnabend die sämmtlichen Gymnasial-Lehrer und Schüler nach
dem Schlusse der Unterrichtsstunden zur Abhaltung des Wöchenschlusses sich ver-
sammeln sollen. Zugleich wurde dem Rector von Einem Hochlöbl. Magistrat aufge-
tragen, zu berichten, ob die in Rede stehende oder eine andere ähnliche Einrichtung
in dem Magdalenaco bereits bestehe? Wenn dies aber nicht der Fall ist, sich über
die Anwendbarkeit dieser Einrichtung im Gymnasio gutachtlich zu äußern.

Vom 19. August. Ein Königl. Prov. Schul. Collegium empfiehlt zur Beach-
tung: Wimmers Flora von Schlesien.

Vom 12. November. Ein K. Prov. Schul. Collegium übersendet ein Exemplar
von Mirchondi Historia Gasnevidarum ed. Wilken als Geschenk Eines Hohen Mi-
nisterii für die Bibliothek des Gymnasiums.

Vom 1. October. Dieselbe Behörde. Es sollen zwei Exemplare der jähr-
lichen Gymnasial-Programme, statt eines Exemplars, an die Königliche Bibliothek ab-
geliefert, und dieselben nicht unmittelbar an dieselbe, sondern an Ein Hochlöbliches
Prov. Schul. Collegium mit der übrigen Anzahl der Programme eingereicht werden.

Vom 26. November. Ein K. Prov. Schul. Collegium sendet die Arbeiten der
zu Ostern 1832 abgegangenen Primaner mit den Bemerkungen der K. Wissenschaft-
lichen Prüfungs-Commission zurück.

Vom 2. December. Von derselben Behörde. Es wird den Rectoren angezeigt,
dafs statt des Geheimen Ober-Tribunal-Rathes Herrn von Winterfeld der Herr Re-
gierungsrath Sohr die einstweilige Leitung der Anstalt zur Verbesserung der Kirchen-
Musik und des Kirchen-Gesanges übernommen habe.

Vom 2. December. Rescript von derselben Behörde. Die Zulassung der geprüften Schulamts-Candidaten zur Bestehung ihres Probejahrs betreffend.

Vom 2. Januar 1833. Verfügung des Königl. Hochlöbl. Prov. Schul. Collegii, dafs die Verordnung, wegen Beaufsichtigung der an den Gymnasial-Orten nicht einheimischen Schüler, welche das Königl. Consistorium für Schlesien bereits unterm 9. December 1824 an sämtliche Gymnasien-Directionen der Provinz Schlesien, exclusive Breslau, hat ergehen lassen, von jetzt an auch in den beiden städtischen Gymnasien zur Anwendung zu bringen sey.

Vom 14. Januar. Von derselben Behörde. Zufertigung der eingereichten Verhandlungen und Arbeiten, die zu Michaelis 1832 im Magdalenen-Gymnasium abgehaltene Abiturienten-Prüfung betreffend, nebst einem Auszuge aus der von der hiesigen Königl. Wissenschaftlichen Prüfungs-Commission abgegebenen Begutachtung.

Vom 15. Februar. Ein Hochlöbl. Magistrat macht dem Lehrer-Collegio bekannt: dafs Herr Bürgermeister Lange als Curator des Magdalenen-Gymnasii und der damit verbundenen Töcherschule erwählt worden sey.

III.

Die Zahl der Schüler.

Die Vertheilung der sämtlichen Schüler in acht Classen ist am Ende des Schuljahres bei dem jetzigen Oster-Examen folgende:

	Im Ganzen.	Evang. Relig.	Kathol. Relig.	Mos. Relig.	Aus- wärtige.	Frei- schüler.
In Prima	43	40	1	2	18	13
In Secunda	54	48	2	4	10	12
In Gross-Tertia	47	42	1	4	7	15
In Klein-Tertia	56	54	—	2	11	9
In Quarta	67	63	2	2	13	17
In Quinta	65	61	1	3	5	10
In Sexta	58	51	1	6	6	5
In Septima	82	78	2	2	—	3
	472	439	10	25	70	84

Die Zahl der Eingeschriebenen von Ostern 1832 bis Ostern 1833 betrug
im Gymnasium 94
Die Zahl der Eingeschriebenen von Ostern 1832 bis Ostern 1833 betrug
in den Elementar-Klassen 36

Im Ganzen . . 130

Ausser den pro abitu geprüften 25 Primanern sind in diesem Schuljahre 80 Schüler abgegangen, von denen 5 starben; die übrigen gingen bis auf wenige, die in andere Anstalten versetzt wurden, in das bürgerliche Leben über.

IV. Die abgegangenen Primaner.

Die Universität bezogen zu Michaelis 1832 folgende Schüler, nachdem sie vorher am 11. September, unter dem Vorsitze des Königlichen Commissarius, des Consistorial- und Schul-Rathes Herrn Dr. Vogel, ihr Abiturienten-Examen gemacht hatten:

